INCLYTÆ NATIONIS ANGLICANÆ MAGNA CHARTA,

SIVE

CAPITA PRIVILEGIORUM NATIONALIUM,

ET

IUS STATUS

IN

ANGLIA,

PUBLICUM,

NOTIS,

Ex ipsis Anglicorum JCtorum Fontibus,

ILLUSTRATUM.

Francofurti ad Mœnum,

EX OFFICINA GENSCHIANA.

Anno M. DC. LXXXIX.

BENEVOLO LECTORI
S. D. C. A.

NE rerum Anglicanarum inscientia de Magnitudinæ Chartæ hujus detraheret aliquid, deminueretve; non inconveniens fore, visum est, si non solum ea Tibi enarrarem, quæ ad originem ac nomen illius attinent; verum etiam JCtorum aliquot scripta (quorum mentio ab auctore notarum sæpè illata fuit) numero Platonis obscuriora explicarem dilucidè; & hoc quodcunque caliginis discuterem. Jo. Cowell, Juris Civilis Doctor, & in Academia Cantabrigiensi Professor quondam Regius, sub finem Institutionum Juris Anglicani, in Indice dictionum obscurarum de Charta illa hæc habet: Magna charta est liber, seu codex Constitutionum, quas Henricus Tertius ad utilitatem subditorum promulgabat; & HODIE MAXIMO IN USU SUNT. Hanc ipsam subditorum utilitatem præclarè innuit Dav. Jenkins, Walliæ Judex à principio Legis Terræ, (in qua ex intimis penetralibus Juris Anglicani doctissimè explicat regimen, ab omnibus seculis, cumprimis verò ab Henrici III. tempore usque ad annum 1640 in Anglia usitatum) ubi inter alia: Regis Joannis tempore Nobiles, & Communes regni credentes, antiquas consuetudines & jura esse violata; & eapropter urgentes dictum Regem, ipsis concedere XVII. anno regni sui, LIBERTATES; eæ à R. Joanne fuère concessæ, & à filio ejus HENRICO III. nono anno regni ejus CONFIRMATÆ, & vocantur MAGNA CHARTA, & CHARTA DE FORESTA, declaratæ jam CCCCXXII. annis per dicta Archiva. Ex abundanti Scriptor ille doctissimus addit, subditos obtinuisse jura sua, & libertates; quæ non erant aliæ, quàm veteres ipsorum consuetudines. Angliæ libertates appellat Henr Spelmannus in Glossario, fol. 169. his usus verbis: Magna Charta, sacrum illud Diploma, An. 3. Henrici III. quo regni Angliæ libertates, multo sanguine, & bello funestissimo redemtæ, confirmantur. Sacrum illud Diploma non tantùm ab Henrico III. nono regni anno, in ordinem redactum, sed ab Eduardo I. quoque confirmatum fuisse, perhibet Jo. Cowell in the Interpreter, hoc est, in singulari suo de Verborum significatione libro, Anglicè scripto; nominis attingens rationem, cur magna vocetur Charta illa: Vel quia, inquit, scriptarum omnium Angliæ legum summam complectitur, vel etiam, quod alia insuper esset Charta, the Charter of the Forest; quæ simul stabilita fuerit. Dein pergit Interpres ille: Legi apud Holinshedum, Regem Johannem, ad placandos Baronum animos, rogasse Leges, sive Articulos regiminis, magnæ Chartæ haud dissimiles. Hodiè, verò scriptam legem non habemus, ea antiquiorem, quæ subjectis ad instar beneficii esse videbatur, at summæ æquitatis lex; si cum illa maximè comparetur, quæ olim in usu fuerat: Ita ut Rex Henricus III. vix ad sanctionem ejus adigeretur, quintum & decimum tenens nummum ex omnibus bonis mobilibus, tàm spiritualibus, quàm temporalibus, per integrum regnum. Et quamvis hæc ipsa Charta XXXVII. capitibus legum constet; tàm latè tamen extenditur, ut omnes, quæ nobis quidem sunt, leges aliquo modo ex illa dependeant. Monendum hic Lectorem censeo, non discordare inter se Jenkinsium & Cowellum de Charta Forestæ, & Rege Johanne, Chartæ hujusdem primo velut Conditore.

Charta cur vocetur Lex illa, docet te Ingulphus, apud Jo. Seldenum lib. II. Jani Anglorum, num. 2. hunc in modum loquens: Chirographa Chartas vocabant Normanni, & Chartarum firmitatem, cum cerea impressione, per uniuscujusque speciale sigillum, sub instillatione (Spelm. legit, sub insullatione) III. vel IIII. testium adstantium conficere

ficere constituebant. Et post nonnulla, de tempore Edvvardi Confessoris, cui sigillum suum etiam à Normannia fuit: Normannicis introductis, Anglicos ritus dimittere, & Francorum mores in multis imitari, Gallicum idioma omnes Magnates in suis Curiis, tanquam magnum gentilitium, loqui, Chartas & Chirographa sua, more Francorum conficere, & propriam consuetudinem in his & aliis multi erubescere Angli cœperunt. Spelmannus in Gloss. loc. cit. Chartam exponit scriptum obsignatũ, quo cessiones, contractus, conventiones, & hujusmodi ratæ fiunt: Romanis symbolum, tabulæ: Inferioribus, scilicet Scriptoribus, Epistola, Testamentum, Chirographum, &c. Nostratibus hodie, Factum. Inter Saxones nostros vix reperta Charta vox. Hæc ille. Quantum igitur conjectura assequi licet, vox Charta non Saxonica, vel Britannica, sed potius Normannica, aut Gallica vetus censenda est. Unde & eruditissimus Originum Gallicarum conditor, Menagius, pag. 204. in voce, Chartres, ad aurem quasi nos admonet, hoc ipso Epistolæ sensu & Gallis jam venire, & Hispanis: Comme quand on dit, Garde de Chartres, le Thresor des Chartres, Chartres de France, &c. De cartæ dont les Espagnols ont aussi fait cartas, pour des lettres missives. Refer huc, si quidem videtur, Chartas epistolares, hoc est, ad ratiunculam vel ad logarium paratas, L. 3. §. ult. de penu. leg. de quibus ipse Brissonius lib. III. de Verb. Signif. fol. 110. Nec non Chartularios, quorum variæ erant species, prout variis officiis adjungebantur, ac deserviebant; velut qui Chartas & codices earum expensionum tractabant, quæ privato Principis ærario illatæ, magna ex parte in largitiones insumebantur. Hos Κομμενταρησίους, Commentarienses aliàs dictos, scribit auctor Etymologici. Charta, vel Chartula pro instrumento, vel scriptura accipitur, Novel. 48 Julian. Antecess. à qua Chartularii dicti, qui variis in rebus & scriniis curam agebant: Hi tractabant Chartas & tabulas (ait Jac. Gutherius lib. II. de Offic. Dom. Aug. c. 14.) fiscalium debitorum. Chartularii autem, qui & Chartarii, auctore Ennodio lib. VII. Epist. 1. Chartis & rationibus publicis erant obnoxii, & eorum officium in observatione rationum. L. 11. C. Th. de divers. offic. Cæterum constitutio Græca Justiniani ab Ant. Contio refertur L. 25. C. de SS. Eccl. numerum continens Chartulariorum, in Scrinio Orientis, qui, pro ratione consuetudinum, accipiebant pro emphyteuticis quidem instrumentis, quinquagesimas; pro conditionalibus vero, & cæteris contractibus, centesimam. Vides, erudite Lector, contractus & instrumenta, velut materiam incidere, quæ Chartas, ecquæ Chartarios recipiat? Quid? quod Imperator L. 2. §. notitia. C. de offic. Præfect. Præt. Afric. de notitia consuetudinum inibi agens post nonnulla: In officio amplissimæ Præfecturæ per Africam, pro insinuandis ejusdem Chartis, solidos XII. Hæc consuetudo non solùm ad duces limitum, sed & ad Judices civiles porrigitur: qui nec multa dispendia pro completione Chartarum, vel codicillorum, vel in sacro laterculo, vel in Scrinio Præfecti Præt. per Africam sustinerent: in laterculo pro codicillorum atque Chartularum promotionis suæ consuetudinibus, nihil ultra sex solidos præbere tenentur. Ad quæ Imperatoris verba Gutherius lib. cit. c. 17. hæc, instar glossematis, annotavit: Codicilli nobis sunt Provisions; Completio Chartarum, Controlles & Enregistremens. Chartularius, Græcobarbarè χαρτουλάριος occurrit in Onomastico vetere, & apud Balsamonem, Zonaram in Leone Isauro, ac Nicetam in Isaacio Angelo, lib. III. Erat autem & in Oriente Chartulariorum ordo (recensente Jo. Meursio in Glossario, pag. 618. 619) triplex: Hic in Ecclesia, ille in palatio, isto in exercitu occupabatur. Qui in palatio, ὁ μέγας, Chartularius magnus dicebatur, dignitatemque habebat proximam Protostratori, hoc est, Mareschallo; Præfectus cum eo equisonibus Imperatoris. Gotfridus Viterbiensis Chron. Part. XX. magnum Chartularium alio nomine Chartularium imperialem appellare videtur, dum ait: Rege Alboino adhuc in Italia manente, Narses Præfectus Italiæ, & Chartularius imperialis, vocat ipsum Alboinum, cum omnibus Lombardis, in Italiam. Isque Imperatori à codicillis erat: Novel. VIII. Nec non judex constitutus ab Imperatore, ad judicandum, fortè ut apud Anastasium, in exilio Martini: Feria secunda diluculo

mittit

mittit Chartularium suum, & quosdam ex obsequio suo. Observat præterea Meursius, Chartophylacem viros doctos cum Chartulario interdum confundere; cum is sigilli Patriarchalis custos esset, quod etiam in pectore gestabat. Id ipsum Gutherio suboluit, lib. ante cit. cap. 14. circumspecta, quod ajunt, cura scribenti: Chartularios propriè χαρτοφύλακας non dixerim, sed χαρτουλάριους. Nam Scriniarii vere χαρτοφύλακες, & χαρτοφυλάκιον Scrinium, ut Glossæ veteres habent. De hoc ipso discrimine confer Jo. Lud. de la Cerda Advers. Sacr. cap. 126. n. 2. qui hæc omnia Meursio, à quo accepit, debet; item quæ de Chartophylacis munere tradit cap. 58. n. 5. Erat nimirum Chartophylax (describente Codino, in suo de Offic. Aulæ Constantinop.) Chartis præfectus, ad jura Ecclesiastica pertinentibus; Ecclesiasticarum quoque causarum omnium judex, cognoscens de causis matrimonialibus; & Clericorum in cæteris defensor: appellabaturque dextera Patriarchæ. Erant verò Chartophylaces duo: Prior Patriarchicus, & Ecclesiæ archiva servabat; alter Oeconomejo inserviebat, & tabulas Ecclesiasticorum redituum, expensarumque conficiebat, ac curabat. Ad priorem quod attinet, apud illum quoque testimonia deponebantur, quæ scripta de iis, qui sacris initiari vellent; item Hierologiæ. Ad extremum, Magni quoque cognomento, teste Cantacuzeno lib. II. Hist. cap. 1. ab Andronico Juniore honestatus est: Chartophylaci, ait, quia majores (honores) capessere nolebat, munus effecit splendidius, magnumque Chartophylacem nominavit; quod epitheton Chartophylaci usq; hodie manet. Nec sine causa: Nam dignitas ejus longè maxima erat, qui nempe jus habebat conscendendi equi Patriarchalis; auream que in capite tiaram, quæ in Chartophylacio adservabatur, gestabat: Jus illi concedebatur Episcopi Constantinopolitani; figendæ item crucis potestas, in exstructione novi templi, ex auctoritate Episcopali; in congregationibus extra synodum sessionem habebat ante reliquos omnes Antistites. Quidni igitur magnum fuisse credamus Chartophylacem? Accipe porrò, si lubet, quæ Marculphus Monachus de variis Chartis, libris duob⁹ Formularum, perhibet: Charta de Ducatu, Patriciatu, vel Comitatu, sunt literæ Principis (ait Hier. Bignonius in notis) quibus provinciæ & civitatis Rectores destinat, qui aut Patricii, aut Duces, aut Comites vocantur. Charta de causa suspensa, ut dum Reipubl. causa quis abest, lites & negotia adversus eum conquiescant. Charta de Mundeburde Regis, dum Princeps Episcopo, aut Abbati, tuitionem & defensionem suam impertit, ne à quibuslibet infestentur; atque etiam, ut eorum causæ in palatio tantùm decidantur, concedit. Charta audientialis Regia quoque est epistola, quæ ad Comitem scribitur, ut quendam, qui ejus jurisdictioni oppositus est, judicium accipere, & judicatum facere cogat; aut, si nolit, fidejussorem det ad Regis judicium sistendi causa. Inde dictam audientialem putat Bignonius, quod per eam quis ad Principis audientiam vocetur: Ut enim Jurisconsulti jus pro loco dicunt, sic audientiam tum illi appellabant. Charta paricla, pro paricula, ideò dicebatur, quod ejusdem exempli duæ litigantibus dandæ essent Chartæ, in judicio Comitis Palatii, quo fugitivum servum recepisse accusatus, certa die, cum sex aliis jurabat, se non fecisse: Quia igitur neutra pars victa dici poterat, ambo ejus judicii similia exempla, uno tenore conscripta, accipere jubebantur. Ecquid Chartam comemorem ex illo Formularum Scriptore, donationis inter virum & fœminam, de eorum rebus? Quid Chartam obnoxiationis, à patre in filiis factam, quâ pater, qui bonorum uxoris suæ præmortuæ usumfructum à filiis accepit, remunerandi causa illis donat villas quasdam suas; earum tamen usufructu retento. Atque ita se obnoxium reddit, ut ne illas inposterum alienare, aut minuere possit? Quid Chartam, qui suum nepotem meliorare voluerit, id est, nepoti ex filio aliquid donare; ut præcipuum illud habentis melior sit conditio, quam cæterorum nepotum? Quid Chartam, ut filia cum fratribus in paterna succedat alode, seu terra paterna? Quid Chartam de agnatione, si servus ingenuam fœminam traxerit; qua cavebatur, ut qui agnascerentur ex his nuptiis, liberi & ingenui permanerent, non servi? Formularum veterum incertus auctor quasi numerando percensuit Chartam sacramentalem, qua statue-

batur, ut qui pro colono vindicatus se liberum asserebat, manu sexta decima propinquorū, certa die in Basilica Sancti alicujus juraret, se liberum esse: Chartam denarialem ante Regem, quæ usitata erat in manumissione, per denarium, præsente Rege, facta; multis quippe modis apud veteres Francos manumissio procedebat, aut ante Regem per denarium, aut per Chartam seu tabulam, aut etiam per epistolam privatam; inde libertorum alii denariales, alii Chartularii, seu tabularii dicti. Hinc Epistola, sive Charta ingenuitatis, qua quis ab omni vinculo servitutis absolvebatur; ita ut deinceps, tanquam si de ingenuis parentibus fuisset procreatus, vitam duceret ingenuam, & in nullo servitio inclinari posset; ut ex Marculpho exponitur in Glossario Pithœi, ad Caroli M. & Ludovici Pii Capitula. Sardi venales Tibi viderentur, Lector humanissime, si diutius in Chartarum enumeratione versando, edissertare vellem Chartas tres Regis Æthelberti, in confirmationem solius fundi circa Ecclesiam S. Pancratii; Chartam Wythredi Regis Cantiæ, de terra quatuor aratrorum, in insula Taneti; Chartam Kenredi & Offæ Regum, de terris Cœnobio Eveshamiæ collatis; Chartam & visiones Egwini Episcopi Wigorniensium; Chartam Inæ Regis Occidentalium Saxonum Glastenburiæ Monachis confectam; Chartam donationis & privilegiorum, ab Edmundo Rege Ecclesiæ S. Mariæ Glastoniensi concessorum; Chartam Edgari Regis, de Oswaldes-law, hoc est, de ejiciendis Clericis uxoratis, & introducendis Monachis; in quo Diplomate (inquit, Jac. Usserius sub finem Sylloges Vet. Epistol. Hibern. pag. 163.) quod omnes historiæ tacent, maximam partem Hiberniæ, cum sua nobilissima civitate Dublinia, Anglorum regno subjugatam à se fuisse, confirmat. Quid vero opus est referre Chartam Regis Edgari, novo Wintoniæ Monasterio, quod Hydam vocant, confecta? Nihil attinet dicere de Charta alia Edgari Regis, de Monachis Wintoniensibus; de Chartis Ejusdem, Glastoniensi Monasterio, nec non Malmesburiensi Cœnobio confectis; vel denique de Charta Regis Canuti, Glastoniæ concessa: Quas universas ac singulas invenies in Conciliis, Decretis, Legibus, Constitutionibusq; Ecclesiarum Orbis Britannici, junctim ac fideliter ab Henr. Spelmanno, Varrone Anglicano, foras editis. Monasticon Anglicanum, non ita pridem emissum, Chartis Regiis plenum & confertum est. Quare non obscurum, opinor, neque absconditum & Franciæ & Angliæ Reges in Legibus ac Constitutionibus suis Charta eo, quo diximus sensu, antiquitus usos; imo id veteri exemplo atque instituto Curiæ fecisse videntur. Hodieq; suum illud solemne servant Scoti, ut Chartam extensam, vel extentam de literis usurpent, dispositionem terræ, ac terminorum ejus, continentibus; de qua videndus est Joh. Skenæus, in The Exposition of the Terms, & diffic Wordes. Idem & in publicum dedit Regiam Majestatem Scotiæ, hoc est, veteres Leges & Constitutiones ex Archivis publicis, & antiquis libris MSStis collectas; in quibus non solum usitatum, sed etiam quotidianum est, Chartæ fidem probare per sigillum, vel per plures Chartas, eodem sigillo sigillatas. Neque à consuetudine abhorrent querela de Chartæ ostensione: Servitium Domino præstandum, secundum tenorem Chartę: Quemlibet per Chartam infeudatum posse cognoscere de causis criminalibus, secundum tenorem Chartæ suæ: Chartæ amissæ tenorem posse probari per assisam: Terras datas per Chartam extensam, & per certas divisas, per Regem de domanio suo, non posse per breve perambulationis tolli, sed tantum per breve de recto; & sexcenta similia.

An ad reliquias hujus Præfationis proficiscamur? sic opinor. Hæc igitur mihi reliqua pars est, hic restat actus, ut scenam quasi dem plerorumque veterum JCtorum, quorum mentio atque usurpatio in notis Anonymi occurrit uberrima. Aliquot, velut in brevi quadam tabella exhibens Arturus Duck lib. II. de Usu & Authorit. Jur. Civ. cap. 8. part 3. n. 6. 7. 8. & 9. hęc memoriæ prodidit: Constat Jus Angliæ ex Consuetudinibus Angliæ, & Statutis, per Regem in Comitiis Parlamentariis, cum consensu Ordinum Regni conditis. Ad hoc Jus Anglicanum accesserunt scripta antiquorum aliquot JCtorum insigniū, Glanvillæ, Bractoni, Brittoni, Thorntoni & Fletæ; qui Consuetudines & Leges Anglicanas Tractatibus suis, ut Papinia-

pinianus, Ulpianus, Paulus, & reliqui JCti Romani, Edicta Prætorum, & Constitutiones Principum suis libris explicarunt. Inter Scriptores Juris Anglicani primus memoratur Ranulphus Glanvilla sub Henrico II. Capitalis Justitiarius; post eum Henr. Bractonus sub Henrico III. Capitalis etiam Justitiari⁹; deinde Joh. Britton, Justitiarius Angliæ; & sub Edwardo I. Gilbertus Thorntonius, Capitalis etiam Justitiarius Angliæ, Bractonum in compendium redegit; & sub eodem Rege auctor incertus, Fleta dictus. Hi verò JCti Anglicani fuerunt Juris Civilis peritissimi, & ab eodem lucis atq; ornamenti plurimum ad Jus Anglicanum illustrandum acceperunt: Erat enim Bractonus Juris Cæsarei Professor Oxonii, & Brittonus Juris utriusque Doctor; librosq; incipiunt Glanvilla & Bracton⁹ verbis ac methodo Justiniani in Institutionibus. Hæc Arthurus ille.

Jo. Cowell in Interprete suo Anglicano Granvillam Scriptorem vocat, Legum Angliæ antiquissimum, diemq; obiisse scribit tempore Regis Richardi I in urbe Acres, prope oram Jury, Regię peregrinationis comitem in terram sanctam. Exutus autem est officio Justitiarii an. 1. Richardi I. (ait Spelm. in Glossario, fol. 411. ubi de Capitalibus Angliæ Justitiariis, sub Regibus Anglo Normannis) & deinde profectus in terram sanctam in obsidione Acon mortuus est An. 1190. ut retulit Hovedenus in Henr. II. Quæ de eo tradit Balæus, missum scilicet fuisse ab Henrico Rege, cum magna armatorum manu, ad Damiatam Ægypti urbem Ann. 1218. obsidendam, & in eo bello miris omnium laudibus celebratum fuisse; ad Ranulphum Comitē Cestriæ omnino spectant, multò recentiorem, ab Henrico III (non II.) missum. Brittonus autem ideò verbis ac methodo Justiniani librum incepisse, non falsò creditur, quod Edvvardi I. Regis auctoritate ac nomine, ceu Romanum Principem sibi documento habentis, scribere jussus esset. Edvvardus Coocke ait, illum anno Regis ejusdem quinquagesimo Institutiones suas concinnasse; & M. Guin in præf. ad easdem, Episcopum Herefordensem fuisse, non sine errore manifesto, aliis quidem persuadere sustinet, æternum verò illud Angliæ decus, Jo. Seldenus in Dissert. ad Fletam. cap. 2. satis ostendit, Jo. Bretoun (nam & Bracton ille aliàs quoque Breton appellatus est) Episcopum Herefordensem annis compluribus ante ejusdem compendii conscriptionem mortuum fuisse.

Gilbertus ille de Thoruton (pergo hîc ex Seldeno) qui, sub Edvvardo Rege primo, cum potestate sum̄a judiciis præfuit, anno ejusdem Regis vigesimo Bractonum, ceu antea dictum est, in compendium sum̄a cum diligentia redegit; unde etiam de singulari Bractonii, qui Fleta paulò vetustior est, in Jure (sub Edvvardo illo, cujus etiam Annales juridici in foro hactenus obtinuere, atq; in rebus gravissimis etiamnum obtinent) discutiendo, auctoritate est dijudicandum. Jussu autem regio, aut non sine Regis auspiciis, conscriptum esse hoc Thorntonii Opus, par est ut credam⁹ ex eo, quod in Annalibus juris Anglicani habetur, Edvvardum illum tum Leges moresque regni in scripta redigere universos voluisse: tum libros aliquot alios, præter notissimum illum, Britton dictum opera Jurisprudentiorum, qui sub eo floruère, eam in rem confecisse; idque veluti suos.

Quod ad nomen Fletæ attinet, reperitur quidem, inquit Seldenus in Dissert, ad Flet. c. 10. in Scriptoribus Britanniæ, Balæo & Bitsio, auctor Guilelmus Flete, seu Fleta dictus; exteris plerumque Anglus, seu Anglicus: Sed is Theologus, & Theologica tantùm scripsit, è secta Eremitarum Augustinianorum; & scripto hoc planè recentior est, utpote qui sub Richardo II. floruit. Nominis autem ratio apud Auctorem manifesta est: Tractatus iste, ait, qui meritò Fleta poterit appellari, quia in Fleta de jure Anglicano conscriptus est in tres partes dividitur principales. Fleta verò hîc notissimus est apud Londinenses carcer, the Fleet dictus, & à præterlabente fluviolo sic nuncupatus: Fluvius enim fluctus, seu æstuarium Flete Anglis dictum. Unde per Metonymiam, ut Hispanis naulum, Flete dicitur à fluvio, seu fluctu, quo navis vehitur (ita vult Sebast. de Covvaruvia in Thes. linguæ Castellanæ) sic illis dicto; è quo habent item Fletador & Fletamiento: Ita & Anglis carcer ille, uti & navium pariter classis, ac vicus insuper fluviolo illi adjacens. Certè si Cicero Quęstiones Tusculanas Tusculum nominaverat, eadem ipsa, qua Fletæ auctor

auctor usus fuisset in libro denominando ratione. Sic Ovidii de Ponto libri nominantur. Atque apud majores Anglorum usus erat non infrequens, & tempore, quo floruit Fletæ auctor, & superiore, scripta & acta publica a loco, in quo transigerentur ea, quæ in eis continerentur, nuncupari. Sic Clarendonenses Recognitiones, sic Magna Charta Johannis Regis Charta de Runingmede, sic Statuta aliquot sub Edvvardo I. Westmonasterium primum, secundum, tertium etiam, & quartum; ut Glocestriæ ac Exoniæ Statuta sic dicta prætermittamus. Quisnam autem in Fleta Auctor Commentarii ejus fuerit, nullibi aperitur; sed è carcerariis, seu custodiæ traditis, eum fuisse, non est, quod dubitetur; quam plurimi enim eorum, qui judiciis sub Edvvardo I. præfuere, viri quidem maximi, & ævo in illo JCti celeberrimi, repetundarum, & quod lites suas fecerant; aliisque præter ministros forenses, aliquot merito damnati, mulctis, exilio, ac carcere puniebantur; è quibus, veri satis est simile, auctorem hunc fuisse. Et vetus Annalium Scriptor in an. 1288. incarcerationem habet Justitiariorum domini Regis, quos ordine recenset: In numerosa autem illa JCtorum damnatorum turba vix dubitandum est, quin aliqui fuerint carceri Fletæ, utpote supremis apud Anglos tribunalibus præ carceribus aliis, idq; ex jure vetustissimo inservienti, traditi. Quid, quod ipse Discursuum antecedentium auctor nobilissim⁹, Jac. Hovvell Eques, in carcere illo (ut cum Tullio dicam) habitavit & fortasse diutius, inquit Eresius ille Sapiens, quàm in ædib⁹ suis: Discursuum illorum plerasque testor subscriptiones, hac formula: From the Prison of the Fleet, hoc est, ex carcere Fletæ; quod habuit (Appii Claudii, apud Livium, vox) domicilium ab anno 1643. usque ad annum 1648. & paulò longius. Sed de tempore auctoris adhuc anquiritur? in ipso scilicet opere expressissima sunt temporis, quo conscriptus est liber Fletæ, vestigia, unde Edvvardum, in Præfatione operis memoratum, sub quo scripserat auctor, primum fuisse, satis constet. Formulam is habet lib. II. Flet. cap. 66. § 26. Rescripti regii, moderata misericordia dicti, quod lege subnititur, in Magna Charta lata, cap. XIV. Verba tempori suo adoptans auctor, hunc in modum, nomine regio, concipit: Contra tenorem Magnæ Chartæ Regis H. patris nostri, in qua continetur, quod nullus liber homo amercietur &c. Hîc ut ipse Edvvardus I. innuatur necesse est, cui pater Henricus III. Adjice & illud, quod Regem Henricum II. proavum Regis, sub quo Fletam adornavit, expressim nuncupat; scilicet ubi lib. & cap. citt. §. 16. in Henrici III. Magna Charta capitulum habetur de scutagio (cap. XXXVII.) capiendo, sicut capi consuevit tempore Henrici Regis avi nostri, quo nomine Henricus II. planè designatur. Auctor legem illam suis recitans verbis, Inhibetur, ait, quod nullus destringatur pro scutagio, sed capiatur, sicut capi consuevit tempore H. Regis, proavi Regis nunc. Sensum igitur ipsissimum legis Henricianæ retinet, qui Henricum II. Henrici III. avum spectat, proavum interim eundē ipsum Regis sui, id est, Edvvardi I. rectè vocans. Nemo enim ignorat, Edvvardo I. proavum fuisse Henricum II. id est, patrem Johannis Regis patris Henrici III. patris Edvvardi I. Quare ex his modò allatis probatur, Fletæ auctorem non sub Edvvardo II & III. vixisse, ut Cooke & Covvell perperam existimant; sed facilis, opinor, fides est, regnante Edvvardo I. opus hoc ipsum conscriptum fuisse; adeoque ex eis esse, quæ jussu Edvvardi I. sicut & Thorntonii Summa, & Compendium Britton dictum, à JCtis celebrioribus componebantur.

Fortescue JCtus fuit doctissimus, & cum Henricus VI. imperio Angliam regeret, Cancellarius; qui libro singulari in Leges communes, id est, Jus civile Anglorum, commentatus est commodissimè, uti nos Covvell in Interprete docet. Henr. Spelmannus in Gloss. fol. 416. Capitales Justitiarios Banci, i. e. Tribunalis regii, sive superioris, alias, ad placita criminalia, seu coram Rege tenenda, enumerans, anno 20 Henr. VI. Jo. Fortescue Militem vocat, sed Cancellarium fuisse, dubitanter dicit his verbis: Notior in ore omnium nomine Cancellarii, quàm Justitiarii, diu tamen functus est hoc munere, illo vix aliquando. Constitui enim videtur Cancellarius, non nisi à victo & exulante apud Scoto Rege Henrico VI. Meminit præterea anonymus Notarum in Chartam Magnam auctor scripti, sive Scriptoris

alicujus juridici, Mirror dicti, qui idiomate scripsit vetere Gallico; pro quo ferme accepissem Marrovv, magni nominis Legisperitum, qui floruit regnante Henrico VII. ejusque Lectiones juris hodienum extant: Non audeo tamen; nam incerta adhuc ista, & scrutanda sunt. In consilium adhibui quidem Guidi Panziroli, de Claris Legum Interpretibus libros quatuor; sed operam lusi: Nec satis mirari queo, hos omnes JCtos Anglicanos silentio tegi, &, ne quid gravius dicam, premi.

Lex Salica, neque Anglis ignota fuit; ex hac enim multa in Legibus Henrici I. reperiuntur depromta, interdum nominatim, interdum verbatim. Nomen accepit suum à Francis, populo Germaniæ; qui transmisso Rheno plurimum Galliæ subegere: Hi primo, ut refert Frisingensis, dicti sunt Sicambri, postea a Salo fluvio (ut Rhenano placuit) Salici & Saligni. Anno tertio regni eorum cōditoris Pharamundi, nondum Christiani, uti cœperunt (inquit Sigebertus) Legibus, & Legem Salicam dictaverūt per quatuor gentis suæ Proceres electos de pluribus, his appellatos nominibus, Viogast, Bosogast, Salagast, Widigast, in villis Germaniæ, Solehaim, Bodohaim, & Windohaim. Hi quatuor Proceres per tres mallos convenientes, omnes causarum origines sollicitè tractantes, de singulis discutiendo, sicut Lex Salica declarat, judicare decreverunt. Idem vix aliter in utroque prologo, ad eandem Legem; sub posteriore verò sic notatur: Anno ab Incarnatione Domini nostri JESU CHRISTI DCCXCVIII. Indictione sexta, Dominus Carolus, Rex Francorum inclutus, hunc libellum tractatus Legis Salicæ scribere ordinavit. Vide sis Legē ipsam, cum Fr. Pithœi interpretatione rerum & verborum obscuriorum, quæ in ea Lege habentur.

De Legibus Mulmutii hæc accipe: Dunwallo Mulmutius, alio nomine Molincius Britañus, Cornwalliæ Dux, postquam omnes Britanniæ terras, civili bello divisas, in statum commutasset monarchicum; sanctor ille saluberrimis atq; utilissimis legibus novam hanc monarchiam munivit, quæ post multas tempestates Mulmutii Leges appellitantur, ex antiqua Britannorum lingua, Gyldæ studio, in Latinam translatæ; teste Stowæo in Annal. pag. 16. Earundem reliquias, aliquot distinctas capitibus, collegit Richardus Vitus lib. III. Hist. Britan. num. 1. Neque obscura illarum vestigia remansere in Magna Charta, cap. 1. & 14. Hi potissimum veteres Anglorum JCti non adeò indigni habentur, quo minus à Prudentibus eorundem, & Arbitris citentur. Sanctiones autem Legesque antiquitus latæ ab Ina, Alvredo, Edovardo & Guthruno, Æthelstano, Edmundo, Edgaro, Ethelredo, Canuto, Ælfrico, Gulielmo I. & Henrico I. Regibus (prout universas Guil Lambardus in Archæonomia sua junctim exire voluit) prorsus abrogatæ, vel etiam mutatæ fuerunt.

Verum enimverò, tibi habeas, inquis, auctoritates istas, & Faunorum & Aboriginum seculo repetitas: non equidem flocci facio vocabula defamata, atque demortua, quibus Decemviri tabulas condiderunt, quib⁹ Salii canunt, & Augures avem consulunt: Hæc potius curatio est veterum Legum cupidissimo, & plerasq; voces nimis priscas & ignotissimas expromenti; vel nimis obsoletorum exculcatorumq; verborum medullas & sanguinem perspicienti & elicienti: Ut tanquam scopulum, sic fugio inauditum atque insolens verbum. Nullam gravitatem hæ Leges habent; nulla amplius auctoritate in Repub. Anglicana florent isti JCti. Si modo ita explorata aure sis, non surda, nec jacenti; verba Covvelli repetam de Charta Henriciana: Et hodiè maximo in usu est. Quantum ad usum auctoritatemq; cæterorum, vellem aliquid degustasses de magni illius Seldeni (in Dissert. ad Flet. cap. 1. n. 3.) verbis, quę non nisi prægustata, velut Antonius cibos, sume: Scriptores hujusmodi apud nos inter eos, quorum doctrina pro ornamentis tantùm orationis, in disputationibus juris nostri forensibus scholasticisque, esse possint, nec auctoritatem in se ferant, vulgo censeri solent; idq; non sine auctoribus magnis. Quod mea sententia (tantorum virorum pace dictum sit) non citra errorem ex incogitantia ingenti ortum, propagatumque. Tametsi enim ob vetustatem, ac intervenientes (quæ insecutæ sunt) juris mutationes admodum multiplices, auctoritatem in quàm plurimis jam non præstent ejusmodi, quæ Decisionibus, Judiciis, Consultationi-

¶¶ busq;

busque per se solùm sufficiant; innumera nihilominus continent, quæ aut etiamnum manent integra, nec omninò abrogata (ut in materie maxime Feudali, Criminali, Hæreditaria, Contractibus, Translatione dominii, aliis aliquot etiam quotidianis) aut quæ mores majorum, legesque avitas, mutationibus ejusmodi priores, copiosius ostendunt. Atque ita certe tam auctoritatem, e qua Juris interpretatio pendeat, eos habere manifesto in disputationibus forensibus scholasticisque est agnoscendum, quam ornamento esse. ,, Dubitarene potest ,,quis, si Romanorum veterum (Papirii, ,,Tuberonis, Julii, Proculi, Flavii, Æ- ,,lii, Catonis, Sabini, Bruti, Alpheni, La- ,,beonis, Papiniani, Nervæ, Jabolent, ,,Celsi, Pomponii, Scævolæ, Caji, Pauli, ,,Ulpiani, Callistrati, Modestini scripta ,,juridica nobis non adeo invidisset ,,temporis injuria; ingens inde lux & ,,auctoritatis accessisset Pandectis (quæ ,,illorum fragmentis tantum aliquot, ad ,,Triboniani, in jure novando dirigen- ,,doque, sensum aptatis refertæ sunt & ,,utrique Codici, Novellisque Justinia- ,,neis rite intelligendis explicandisque? ,,Certè luce ejusmodi sæpè nimis, ex ,,jactura illa immani infeliciter caremus. ,,Ac specimina ea de re habentur non ,,contemnenda ex pauculis Caji, Ul- ,,piani, Pauli, ipsorum reliquiis quæ non ,,interiere, atque id genus aliquot aliis. --Neq; sanè excogitari potest, Scriptorem haberi Juris omnino aliquem, cujus auctoritas singularis, quantum ad tempora insequentia, non decrescat, pro varia morum, legumque superinductarum ratione ac usu. Sed interim in his tantum decrescit, quæ ab ita superinductis mutantur; in quibus nihilominus ipsis usque adeo firmus permanet, ut Jus pristinum, cujus in novissimo interpretando usus est sicut tralatitius, ita etiam pernecessarius eximiusque, inde sit inprimis edicendum. ,,Summa est, ve- ,,terum hujusmodi usum simul ac aucto- ,,ritatem esse ferme, qualis est Epocha- ,,rum; sive à quibus, sive per quas tem- ,,porum motuumve deductiones fieri ,,solent, & calculus. Postremo ne scriptum hoc adulterinum videatur, scias velim, Lector candide, id Nobilissimo, & in omni Britannia inclyto Viro, Eduardo Coocke, Mil & JCto Regni ejusdem doctissimo deberi, Part.II Inst Legum Anglicanarum, Londini excusarum a M. Flesher, & R. Young, Anno 1640 Stylo in Notis usus est auctor minus eleganti, haud immemor, credo, Ciceronis in Topic. ad C. Trebatium JCtum: Cum intelligitur, quid significetur, minus laborandum est de nomine.

His genuinum molarem invidia licet fixerit, Tu tamen fruere mecum; atque ut Deus multa claritudine generis pariter ac dignitatis fulgentem Discursuum Hovvellianorum interpretem terris diu commodet, ex animo precare: DEUS approbet, quod agit, acturusque est!

MAGNA CHARTA,

Edita Anno nono Henrici III. anno 1225.

HENRICUS, Dei gratiâ, Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Normanniæ & Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ.

Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, Vice-Comitibus, Præpositis, Ministris, & omnibus Ballivis, & fidelibus suis, præsentem Chartam inspecturis salutem.

Sciatis, quod Nos intuitu Dei, & pro salute animæ Nostræ, ad exaltationem sanctæ Ecclesiæ, & emendationem Regni Nostri spontanea & bona voluntate Nostra, dedimus & concessimus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, & omnibus Liberis de Regno Nostro, has libertates subscriptas; tenendas in Regno Nostro Angliæ in perpetuum.

CAP. I.

INprimis concessimus Deo, & hâc præsenti Charta Nostra confirmavimus, pro Nobis & Hæredibus nostris in perpetuum, quod Ecclesia Anglicana libera sit, & habeat omnia jura sua integra, & libertates suas illæsas. Concessimus etiam, & dedimus omnibus liberis hominibus Regni Nostri, pro Nobis & Hæredibus Nostris, in perpetuum, has libertates subscriptas; tenendas & habendas eis & hæredibus suis, de Nobis & Hæredibus Nostris in perpetuum.

Sanctam Dei imprimis Ecclesiam, liberam

[illegible]

facio; ita quod nec vendam, nec adfirmam ponam, nec mortuo Archiepiscopo, vel Episcopo, vel Abbate, aliquid accipiam de dominio Ecclesiæ, seu de hominibus ejus, donec Successor in eam ingrediatur, & omnes malas consuetudines, quibus Regnum Angliæ injustè opprimebatur, inde aufero.

Sanctam Dei.] Reges Angliæ, cum scirent, absque Comitiorum consensu pecuniam à subditis petere, pro Imperio non licere, modo alio sibi ipsis iverunt subventum: nimirum bona Ecclesiastica, & census Romam portandos carpebant; sicut ex Historiâ Henrici VII. *p.* 34. apparet, huic rei hic renunciatur.

CAP. II.

SI quis Comitum, vel Baronum Nostrorum, sive aliorum tenentium de Nobis, in capite, per servitium Militare, mortuus fuerit, & cum decesserit, hæres ejus plenæ ætatis fuerit, & relevium Nobis debeat, scilicet hæres vel hæredes Comitis de Comitatu integro, per 100 libras; hæres vel hæredes Baronis de Baronia integra, per 100. marcas; hæres vel hæredes Militis de feodo Militis integro, per 100. solidos, ad plus. Et qui minus habuerit, minus det, secundum antiquam consuetudinem feodorum.

Relevium] Est modus redimendi terras eas, quas defunctus jure feudi à Rege possidebat; & quod præter fas premerentur Angli, ita hac lege certum quiddam exprimitur, quod relevii loco sit dandum.

Miles.] Non gregarium, sed officialem hic significat, quin imò Ordinis Equestris Virum, & in gradu excellenti spectabilem. Comentator allegat hic excellentem Chartam Henrici I. ipsa die coronationis ejus factam, & quidem communi consilio & assensu Baronum Regni Angliæ; cujus inter alia hæc sunt verba: „Omnes malas consuetu-„dines, quibus Regnum Angliæ opprime-„batur, inde aufero, quas malas consuetudi-„nes exinde suppono &c. Sensus est, se ab „rogare injustum, & restituere æquum & „bonum. Et quod non negligendum, licet „hujus Henrici I. parens Regnum facere „voluerit hæreditarium, Anglos tamen ejus „autoritati post mortem restitisse, & filium „ejus post primogenitum, primogenito ejus „prætulisse; ut Conquestoris prætensionem „præciderent.

Lex, de Sergantiis, id est, officiis minoribus nihil certi exprimit, quid vel quantum dare debeant hæredes; ideò juxta voluntatem Dominorum, Dominis satisficiant pro relevio; dum tamen ipsi Domini rationem & mensuram non excedant. Vide *part.* 2. *Instit. Legal. Regni Angliæ p.* 9. *&* 10.

CAP. III.

SI autem hæres, alicujus talium, fuerit infra ætatem, Dominus ejus non habet custodiam ejus, nec terræ suæ, antequam homagium ceperit; & postquam talis hæres fuerit in custodia, cum ad ætatem pervenerit (sc. 21. annorum) habeat hæreditatem suam sine relevio, & sine fine; ita tamen, quod si ipse dum infra ætatem fuerit, fiat Miles, nihilominus terra remaneat in custodia Dominorum suorum: usque ad terminum prædictum.

Homagium] Est juris vinculum, quo quis adstringitur ad Warrantizandum, defendendum, & acquietandum tenentem suum in seisina, versus omnes, per certum servitiu, in donatione nominatum & expressum: & etiam vice versa, quo tenens adstringitur ad fidem, Domino suo servandam, & servitium debitum faciendum. Homagium autem à juramento fidelitatis distringitur *part.* 1. *Instit. lib.* 2. *cap. Homage & Fealt.* ita ut Homagium præstari possit, à minorenni, Juramentum autem fidelitatis non nisi à majorenni: & Homagium habet vim stipulationis.

Custodia.] Hic tutelam lucrosam significat, quæ non desinit, usque ad majorennitatem. De hac Custodia vide Thomam Smith in descriptione Angliæ *lib.* 3. *cap.* 5 *p.* 260. §. *apud.* Sed clarior est Forteicue *cap.* 44. de Laud. LL. Anglicarum; & probè sunt tenenda, quæ ibid. & *cap.* 45. sequenti quoq; explicantur.

CAP. IV.

CUstos terræ hujusmodi hæredis, qui infra ætatē fuerit, non capiat de terra hæredis, nisi rationabiles exitus, & rationabiles consuetudines, & rationabilia servitia, & hoc sine destructione & vasto hominū & rerum. Et si Nos comiserimus custodiam alicujus talis terræ *Viz*, vel alicui alii, qui de exitib⁹ terræ illi⁹ Nobis debeat respondere, & ille de custodia illa, destructionē vel vastum fecerit: Nos ab eo capiemus emendationē, & terra comittatur duobus legalibus & discretis hominib⁹, de feodo illo, qui de exitibus terræ illius Nobis respondeant; vel illi, cui Nos illam assignaverimus. *Et si dederimus, vel vendiderimus* custodiam alicujus terræ, & ille in destructionem fecerit, vel vastum; amittat illam custodiam, & tradatur duob⁹ discretis & legalibus hominibus de feodo illo, qui similiter nobis respondeant, sicut prædictum est. (Vide *gloss. C.* 5, *W.* 1. *c.* 21.

Viz.] Sic dicuntur Comites, quia à societate nomen sumserunt, qui etiam Consules dici possunt, à consulendo: Reges tales sibi associant ad consulendum ac regendum populum Dei, ordinantes eos in magno honore & potestate, & nomine, quando accingunt eos gladiis, ringis gladiorum &c. Gladius autem significat defensionem Regni & Patriæ, *part* 2. *Instit. ad C.* 2 *p.* 5.

Et si dederimus, vel vendiderim⁹.] Glanvvill, Legisperitus Anglus, ait: Si Dominus Rex aliquam custodiam alicui commiserit, tunc distinguitur, utrum ei custodiam pleno jure commiserit, ita quod nullum inde reddere computum oportet ad Scaccarium (id est, quæstorium) aut aliter: & si pleno jure commisit, tunc Rex potest hic disponere, quomodo de suo. Hactenus ille. *Inst. part.* 2 *p.* 13.

CAP. V

CUstos autem, quamdiu custodiam terræ hujusmodi habuerit, sustentet domos, *parcos*, vivaria, stagna, molendina &c. ad terram illam pertinentia de exitibus terræ ejusdem, & reddat hæredi, cum ad plenam ætatem pervenerit, terram suam totam instauratam de *carucis*, & omnibus aliis rebus, ad minus, sicut illam recepit. Hæc omnia observentur de custodiis Archiepiscopatuum, Episcopatuum, Abbatiarum, Prioratuum, Ecclesiarum, & dignitatum vacantium, quæ ad Nos pertinent; excepto, quod custodia hujusmodi vendi non debeat.

Nota: Hæc eadem *Glanvill lib. 7. c. 9.* sic exprimit: Restituere autem tenentur custodes hæreditates ipsis hæredibus instauratas, & debitis acquietatas, juxta temporis exigentiam custodiæ & quantitatis hæreditatis.

CAP. VI.

HÆredes autem maritentur absque *disparagatione*.

Disparagatione.) Vocat disparitatem status & conditionis. Et vult Lex, ne Pupilli, qui in custodum lucrotorum potestate sunt, cogantur maritari, cum sui non similibus sive ætate, sive sanitate, sive forma, sive quavis consideratione alia. Vid. *Thomam Smith, in descriptione Angliæ, part. 3. cap. 5. pag. 260. 261.* Germania ejusmodi tyrannidem Taurum non vult nec potest agnoscere, qualem Smithus describit; & eandem Lex hæc abominatur.

CAP. VII.

VIdua post mortem mariti sui statim, & sine difficultate aliqua, habeat maritagium & hæreditatem suam; nec aliquid det pro dote sua, nec pro maritagio suo, vel pro hæreditate sua habenda; quam hæreditatem maritus suus, & ipsa tenuerunt simul, die obitus ipsius mariti sui, & maneat in capitali mesuagio mariti sui per 40. dies, post obitum mariti sui; infra quos dies assignetur ei dos sua, nisi prius ei assignata fuerit, vel *nisi domus illa sit castrum*. & si de castro recesserit, statim domus ei competens providetur, in qua possit honeste morari, quousque dos sua ei assignetur, secundum quod prædictum est; & habeat rationabile *Estoverium* suum interim de communi. Assignetur autem ei pro dote sua, tertia pars totius terræ mariti sui, quæ fuit sua in vita sua, nisi de minori dotata ad ostium Ecclesiæ. Nulla vidua distringatur ad se maritandam, dummodo voluerit vivere sine marito: Ita tamen quod securitatem faciat, quod se non maritabit absque consensu nostro, vel sine assensu Domini sui, si de alieno tenuerit. (*Prærogativa Regis, cap. 4.*)

Nota. Ratio legis est, primò, ne cogatur Dominus homagium capere de capitali inimico, vel de alio minimè idoneo.

Dein, si mulier olim iterum maritavit se, præter assensum Warrantis sui, dotem amittebat, sed vi hujus legis, & modernarum, non.

Item, cum semel legitimè maritatæ fuerint, & postea viduæ, iterum non custodientur sub custodia Dominorum, licet tenentur assensum eorum requirere maritandi, *Comment p. 16. part. Instit. 2.*

Nisi domus illa sit Castrum.) Intelligitur de castro custodiente, defendente & propugnante Regnum; non vero de castro, quod solummodo est Burgus habitationis honorabilis. *Instit part. 1. sect 36. & 242.* de ædibus Kernellatis. Kernellare derivatum est è Francico cerner, & Latino cernere, sich rund umsehen.

Estoverium.] Fleta, JCtus Anglus, honestam & necessariam vivendi & vestimentorum suppeditationem, è communi hæreditate, interpretatur.

CAP. VIII.

NOs vero, vel Ballivii nostri, non seisiemus terram aliquam, vel redditum pro debito aliquo, quamdiu catalla debitoris præsentia sufficiunt ad debitum reddendum, & ipse debitor paratus sit inde satisfacere. Nec plegii ipsius debitoris distringantur, quamdiu ipse capitalis debitor sufficit ad solutionem ipsius debiti. Et si capitalis debitor defecerit in solutione debiti, non habens undè solvat, aut reddere noluerit, cum possit, plegii de debito respondeant, & si voluerint, habeant terras & redditus debitoris, quousque eis sit satisfactum de debito, quod antea pro eo solverint; nisi capitalis debitor monstraverit, se esse quietum versus eosdem plegios.

Seisiemus.] Seisire est, executionem adversus debitorem morosum in effectum deducere, & sibi primas partes adsignare.

Plegii.] i. e. fidejussores. Species est propriorum hominum, sed non ita absolutè propriorum, veluti in Holsatia, Meggelburgis; sed quibus in multis sua constat libertas.

Nota: Versus aliquis in hoc capitulo omissus dicitur, cujus hæc sunt verba: „ Nullum „ Scutagium vel auxilium ponam in Regno „ Nostro, nisi per commune consilium Re- „ gni Nostri. Et hæc clausula dicitur fuisse in Charta Regis Johannis, anno ejus 17. constituta, qui fuit annus Christi 1216 circiter. Rex hic intoxicatus* veneno à Monacho quodam interiit. Clausula certe docet aliquid in extruendis fortalitiis, cogendo milite tam domestico, quàm externo, præter libertates Regni, factum esse, & sic deinceps abrogatum. Comentator enim provocat ad *Chart. Eduardi I. cap. 30.* Refert huc *Fortescue cap. 9* §. Nam non potest R. Angliæ &c.

CAP. IX.

CIvitas London habeat omnes libertates suas antiquas & consuetudines suas. Præterea volumus & concedimus, quod omnes aliæ Civitates, Burgi & Villæ, & Barones de quinque portubus, & omnes alii portus, habeant omnes libertates, & liberas consuetudines suas. Articuli super Chartas, *cap. 7.*

Nota. Capitis hujus excellentissimam interpretationem extare dicit Commentator

apud

apud antiquos Autores; quos ipse in margine *p. 20.* citat.

CAP. X.

Nullus distringatur ad faciendum majus servitium de feodo Militis, nec de alio libero tenemento, quàm inde debetur.

Nota: Extat Lex antiqua, cujus initium: Ne injustè vexes. Ubi Rex ejusdem Legis lator ait: Prohibeo tibi, ne injustè vexes, vel vexari permittas Herum de libero tenemento suo, quod tenet de te in tali villa; nec inde ab eo exigas, aut exigi permittas, consuetudines vel servitia, quæ tibi inde facere non debet &c.

CAP. XI.

Communia placita non sequantur Curiam Nostram, sed teneantur in aliquo certo loco. Articuli super Chartas, *cap.* 7.

Communia placita.] Placita duplicia sunt; quædam Coronæ, & illa remittebantur ad Bancum Regium: Alia autem communia, quæ possis dicere civilia, quasi dicas Comunitatibus concessa. Placita coronæ, sunt alia contra Coronam, alia contra Coronę dignitatem. Bracton, JCtus Anglus, *lib.3.fol.101.b.* & Fleta *lib.2.c 15.* sic ajunt: Sciendum, quod omnium Actionum, sive Placitorum, hæc est prima divisio, quod quædam sunt in rem, quædam in personam, & quædam mixtæ. Item earum quæ sunt in personam, alia criminalia, & alia civilia, secundum quod descendunt ex maleficiis, vel contractibus: Item criminalium, alia major, alia minor, alia maxima, secundum criminum quantitatem: Criminalium quædam sententialiter mortem inducunt, quædam minimè.

Curiam nostram.] Bancus Regius apud Fletam sic definitur: Habet & Rex Curiam suam & Justitiarios suos residentes, qui recordum habent in his, quæ coram eis fuere placita, & qui potestatem habent de omnibus placitis & actionibus realibus, personalibus & mixtis.

Sensus Legis est, quod actiones merè civiles, non debeant rapi ad Bancum Regium, sed possint decidi coram Tribunalibus quorumlibet domesticis.

CAP. XII.

Recognitiones de nova dissesina, & de morte antecessoris, non capiantur, nisi in suis Comitatibus, & hoc modo: Nos verò si extra Regnum fuerimus, Capitales Justitiarii nostri mittent Justitiarios Nostros, per unumquemque Comitatum, semel in anno, qui cum Militibus eorundem Comitatuum capiant in comitatu illis assisas prædictas. Et ea, quæ in adventu suo in illo comitatu per Justitiarios Nostros prædictos ad dictas assisas capiendas missos, terminari non possunt, per eosdem terminentur alibi in itinere suo. Et ea, quæ per eosdem propter difficultatem articulorum aliquorum terminari non possunt, referantur ad Justitiarios Nostros de Banco, & ibi terminentur.

Disseisinare est, de vel è possessione aut legitimè, aut illegitimè deturbare. Capere, hoc est suscipere in se. Assisæ sunt sessiones Justitiariæ, vel diætæ, juris dicundi gratia institutæ; & illæ quidem statæ, & cuilibet loco propriæ, nisi sunt in præsenti Actiones Coronæ: & absente Rege, per Regis Justitiarios supremos, aliis eis non inferiores, sed respectiva autoritate pares, per Comitatus mittuntur, qui Jus dicant, & deinceps si quædam non possunt terminari una vice, altera terminentur; aut ad Bancum Regium, si casus ita ferat, remittantur. Vi hujus legis succurritur Disseisito, per recognitionem Assisæ novæ (i. e. nuper factæ) disseisinæ, multis vigiliis excogitatam, & inventam recuperandæ possessionis gratia; quam disseisitus injustè amisit, & sine judicio, ut per summariam cognitionem absq; magna juris solennitate, quasi per compendium, negotium terminetur. Bracton *l.4 fol.164.* Idem etiam distinguit privilegia Assisæ, & Juratæ: Juratarum Diætatum privilegium innuit, eas ubicunque exerceri posse: Juratæ autem dicuntur, quod Assessores ejus, initio Sessionis jurare tenentur, se ex conscientia, & secundum leges præscriptas judicaturos. Et sic quædam singulares Actiones Curiam Regis sequuntur. Glanwill super hanc legem: Præterea sciendum, quod secundum consuetudines Regni, nemo tenetur respondere in Curia Domini sui, de aliquo libero tenemento suo, sine præcepto Domini Regis, vel ejus Capitalis Justitiarii. Vocabulum autem hoc significat Custodem Regni, cujus vocis origo Eduardo I. adscribitur, qui le chiefe Justice, primus appellavit, anno primo Regni sui, Capitalem Justitiarium ad placita coram Rege tenenda. Et Historiæ docent, multos hoc officio insigniter sæpè ad tyrannidem fuisse abusos. Rerum progressus certe multa ostendit, quæ ab initio prævideri non poterant. De Justitiariis videatur Fortescue, *cap.51.per totum,* quod sanè notatu dignissimum est.

CAP. XIII.

Assisæ de ultima præsentatione semper capiantur coram Justitiariis de Banco, & ibi terminentur.

Nota: Lex hæc loquitur de ultima instantia, quousque eam in Banco Regis facere, per Regni privilegia, licet.

CAP. XIV.

Liber homo non amercietur pro parvo delicto, nisi secundum modum illius delicti, & pro magno delicto, secundum magnitudinem delicti, salvo sibi contenemento suo; & mercator eodem modo, salva merchandisa sua; & villanus alterius quàm noster, eodem modo amercietur; salvo Wainagio suo, si inciderit in misericordiam nostram. Et nulla prædictarum misericordiarum ponatur, nisi per Sacramentum proborum & legalium hominum de vicineto. Comites & Barones non amercientur, nisi per Pares suos, & non nisi secundum modum

dum delicti. Nulla Ecclesiastica persona amercietur secundum quantitatem beneficii sui Ecclesiastici, sed secundum Laicum tenementum suum, & secundum quantitatem delicti.

Liber homo.] Libertatis vocabulum distinguit hic Anglos ab aliis Regum Anglorum subditis, quatenus sub Regum Anglorum potestate vivunt: non ergo pro universaliter liberis, supputandi sunt, qui non sunt Angliæ cives; & tamen potestas Regis Angliæ, quatenus est Rex Angliæ, Scotorum Libertatibus nil potest derogare. Deinceps liberi hominis significatio, in hoc capite, eos duntaxat denotat, quibus honoris ergo, onus amerciandi non debeat imponi, non autem viles personas, & qui fortassis nil habent in bonis.

Contenementum] Militis contenementum sunt arma omnis generis, & quicquid ea, quibus ad omnem eventum carere non potest. Contenementa Studiosi sunt libri, & quicquid ad studia requiritur. Opificis, instrumenta ejus manuaria: Ergo mercatoris, libri rationarii; Agricolæ, instrumenta rustica, & cujuslibet utensilia domestica. Sed & ipsæ merces ab amerciando privilegiantur, ne impedimentum fiat negotiis, quæ Regnorum sunt incrementa.

Wainagium] Derivatur à Saxonico, Wagna, Wain, Wom; & est species pro genere, omne instrumentum rusticum designans.

Misericordiam nostram.] Glanvvill ait, hoc denotare terminum, ne quis aliquid amittat de suo honorabili contenemento. Sensus ergo erit: Vestes, ornatum omnem, & quicquid mobilium est, sub vocabulo contenementi honorabilis contineri: Tenementum autem res immobiles denotare.

Vicinetum.] id est, vicinitas; vel, ex vicinitate. Deliguntur autem ad amerciandum vicini, ne quid à concivibus, propter inimicitiam fiat: & reticendum, munus amerciandi esse fiduciarium, & temporarium, nec perpetuum.

C A P. XV.

NUlla villa, nec liber homo distringatur facere pontes, aut riparias, nisi qui ab antiquo, & de jure facere consueverunt, tempore Henrici Regis Avi Nostri.

Commentator Anglus ait: Hîc observandum esse, quod tempore Regis Johannis, & fratris ejus natu majoris, Richardi, fuerit ætas calamitosa, motibus multis funesta, & irregularis in omnibus, per diversas oppressiones, exactiones & injurias; quæ accreverint subditis, nomine Regum horum, pro operibus servili modo faciendis; veluti gratis extruendo propugnacula, consternendo vias, & pontes &c. omniaque illa contra leges Regni esse introducta.

Riparias.] Germanicè, Dyckh. Bavaricè, Schlacht. Extrema & eminentiora terræ, fluvio utrinque opposita; ne alluendo agros & pascua corripiat. Legis sensus est, Regem servitutes ejusmodi privata autoritate, subditis non posse imperare, nisi consilio & approbante Parlamento.

Tempore Regis Henrici II. de quo Lex in specie loquitur. Commentator Anglus ait, tria laudabilia introducta esse: Primò, ut Regis consilium sanctius, [illegible], constaret è viris prudentibus, & Legum Regni peritissimis. Ut Rex maneret sicut esset, insignis defensor & assertor jurium Coronæ & Legum Regni sui, & hoc secundum erat. Tertium erat, quod habebat doctos & candidos judices; qui exequerentur justitiam, secundum accordata Legum Coronæ & Regni.

C A P. XVI.

NUllæ ripariæ defendantur de cætero, nisi illæ, quæ fuerunt in defenso, tempore Henrici Regis Avi Nostri, & per eadem loca & eosdem terminos, sicut esse consueverunt tempore suo.

Nota Miror, JC. Anglus, ait de hac Lege: Car pluirs rivers, sont ore appropries, & engarnies, & mis en defense, qui soloient estre Commons a pisher & user en temps le Roy, Henry II. Hæc ille. Sequitur ergo, Reges [illegible] se rapuisse id, quod erat communitatum, & sibi solis appropriasse.

C A P. XVII.

NUllus Vicecomes, Constabularius, Coronator, vel alii Ballivi nostri, teneant placita Coronæ Nostræ.

Vicecomes.] Scheriff vulgo. Vid. *1 part. Instit. fol. 234. & 248.* ubi ejus nomen, officium, & antiquitatem deprehendes. Scheriffi præsunt suppliciis, capitalibus, ne quid ibi per vim, seditionem, tumultum aut sententiam fiat.

Constabularius.] Olim Castellanus, qui custodit castellum, aut est Dominus castelli. Et certum est Regis Henrici II. temporibus Castella M C XV. in Anglia extitisse.

Coronator.] Bretton. JC [illegible] *cap 3 fol 3.* in persona Regis ait: Pur ceo que nous volons, que Coroners sont in chescun County, principals gardens de nostre peace a porter record des plees de nostre Corone, & de lour vievvs, & abjurations, & de utlagaries, volont, que ilz sont esleus solon que ce, que est contenu in nous statutes de lour election &c. Sensus horum verborum is est: Vult Rex, ut Coronatores sint in quolibet Comitatu, principales pacis custodes, & referentes atque animadvertentes, loco Coronæ, de vita, & conspiratione, & ex legibus: [illegible] secundum leges præscriptas. Advocationem autem eis denegat, non enim æquum [illegible], qui Judices sunt, etiam existant Advocati. Coronatores [illegible] illi Ereneach [illegible] similes sunt, de quibus vide Thom. Smith *in Descript. Angl. lib II. cap. 12 pag. 122.*

Nota. Placitum significat actionem criminalem, & tenere, est, illam intentare, prosequi, [illegible]

exercere, usurpare, & exequi: & verò Corona quasdam habet sibi proprias.

Ratio legis est, quod ignorantia Judicis, in ejusmodi magnis litibus, sit sæpè calamitas innocentis: Et tum maximè temporis, ex quo Magna Charta de libertatibus Angliæ aliàs concessa (quam quidem Chartam Dominus Rex in Parlamento suo apud Westm. an. Reg. sui 28. ad requisitionem omnium Prælatorum, Comitum, Baronum, & communitatis totius Regni, de novo concessit, renovavit, & confirmavit) placita Coronæ ipsi Domino Regi specialiter reservantur; per quod nullus de Regno, hujusmodi placita tenere potest, seu habere, sine speciali concessione, post confirmationem Chartæ prædictæ factæ.

C A P. XVIII.

SI quis tenens de nobis Laicum feodum moritur, & Vicecomes, vel Ballivus noster ostendat literas nostras patentes de summonitione (nostra) de debito, quod defunctus nobis debuit: liceat Vicecomiti, vel Ballivo nostro attachiare & imbreviare omnia bona, & catalla defuncti inventa in Laico feodo ad valentiam ipsius debiti, per visum & testimonium legalium hominum; ita tamen, quod nihil inde amoveatur, donec persolvatur nobis debitum, quod clarum fuerit, & residuum relinquatur executoribus ad faciendum testamentum defuncti. Et si nihil nobis debeatur ab ipso, omnia catalla cedant defuncto: Salvis uxori ejus, & liberis pueris suis, rationabilibus partibus suis.

In hac lege primò Rex prærogativâ prioritatis gaudet, inter Creditores: Omnia tamen strictè per Viros bonos executioni submittuntur: Deinceps testamentorum executoribus partes secundæ relinquuntur; ita tamen ut nemo adeat hæreditatem, nisi Regi prius sit satisfactum: Tertio prospicitur uxori & liberis defuncti, de necessariis alimentis.

Bracton JCtus Anglus ait: Neque uxorem, neque liberos amplius capere de bonis defuncti patris, vel viri mobilibus (i.e. catallis;) quam fuerit eis specialiter relictum; nisi hoc sit de speciali gratia Testatoris: utpote si bene meriti in ejus vita fuerint &c. Vix enim inveniretur aliquis Civis, qui in vita magnum quæstum faceret, si in morte sua cogeretur invitus bona sua relinquere pueris indoctis, vel luxuriosis, & uxoribus malè meritis; & ideò necessarium est valde, quod illis in hac parte libera facultas tribuatur. Per hoc enim tollet maleficium, animabit ad virtutem, & tàm uxoribus, quàm liberis benefaciendi dabit occasionem; quod quidem non fieret, si se scirent indubitanter certam partem obtinere etiam sine testatoris voluntate.

Catalla videtur descendere ab Italico Scutella, vel à Latino Catinus, utrumque Germanis Schüssel, Saxon. Vatt/atq; sic Synech. gen. pro speciali hic ponitur, hoc est, pro mobilibus, & domestica suppellectile.

C A P. XIX.

NUllus Constabularius, vel ejus Ballivus capiat blada, vel alia catalla alicujus, qui non sit de villa, ubi castrum suum situm est; nisi statim reddat denarios, aut respectum inde habere possit de voluntate venditoris: Si autem de villa illa fuerit, infra 40. dies pretium reddat.

Blada.] Est etiam species mobilium, quod testimonio Mirroris, *cap. 5. §. 2.* doceri potest, ubi ait, le quel cette prise soit de Chevalls, de vitaille, de marchandise, de cariage, de ostiels, au des autres manieres de biens. Hæc ille; hinc Fleta *lib. 2. cap. 43.* Quia multa gravamina multis inferuntur per diversas distinctiones, quæ quidem sub colore prisarum advocantur &c. hæc inhibentur in Magna Charta de libertatibus Angliæ. Blada autem est è Gallico Blee, frumentum. Blada & singulare & plurale apud Anglos est, omnem autem granorum speciem refert.

C A P. XX.

NUllus Constabularius distringat aliquem militem ad dandum denarios pro custodia Castri, si ipse eam facere voluerit, in propria persona sua; vel per alium probum hominem faciat, si ipse eam facere non possit, propter rationabilem causam. Et si nos abduxerimus, vel miserimus eum in exercitum, sit quietus de custodia castri, secundum quantitatem temporis, quo per Nos fuerit in exercitu, de feodo, pro quo fecit servitium in exercitu.

Constabularius.] Sumitur eodem adhuc sensu, quo supra, ein Castellein *1 part. 1 Instit. sect. 96.*

Legis sensus est, si quis teneatur servitium militare Castellano alicui præstare, illud vero vel per ordinem, vel per sexum, vel per ætatem, præstare non possit; ei liberum esse, loco sui aliquem alium, modo probus vir sit, substituere, kan seinen Reuter / Roß oder Mannsdienst durch einen andern ehrlichen Biedermann verrichten. Si quis in expeditione sit cum Rege, tunc illum liberum esse, quamdiu cum Rege moratur in castris. Idcirco si neminem substituat, non tamen gravari debere, ultra modum præscriptæ Legis: multò minus cogi, ut vexam ære redimat, si ipse custodiam Castri, Castellani sui facere possit, & velit: & sic Castellani præveniuntur, ne pro lubitu Undersassios, & cives Regni, oneribus concussionum premant. *Part 1 Instit sect.* 111. 112.

C A P. XXI.

NUllus Vice Comes vel Ballivus Noster, vel aliquis alius, capiat equos, vel carectas alicujus pro cariagio faciendo, nisi reddat liberationem antiquitus statutam; scilicet pro una carecta ad duos equos X. denarios per diem, & pro carecta ad tres equos XIV. denarios, per diem. Nulla carecta Dominica alicujus

personæ

personæ Ecclesiasticæ, vel militis, vel alicujus Domini, per Ballivos nostros capiatur; nec Nos, nec Ballivi Nostri, nec alii capiemus boscum alienum ad castra, vel ad alia agenda nostra, nisi per voluntatem illius, cujus boscus ille fuerit.

Phrasis, per diem, vult dicere, quousque diei quantitas justa se ostendit, ne abusivè pars noctis addatur. Privilegium hoc, & quoad carros, & quoad sylvas ac saltus longè est amplissimum, Rex certè Jacobus Anno Regni sui quarto, pœna Cameræ stellatæ, hoc privilegium explicavit. Vid. *Part. 2. Instit. pag. 35. 36.*

C A P. XXII.

NOs non tenebimus terras illorum, qui convicti fuerint de Felonia, nisi per unum annum, & unum diem; & tunc reddantur terræ illæ Dominis Feodorum.

Nota: Glanvvill *lib. 7. c. 17. fol 59.* ait: Sin autem de alio, quam de Rege tenuerit is, qui utlagatus est vel de Felonia convictus, tunc quoque omnes res suæ mobiles Regis erunt; terra quoq; per unum annum remanebit in manu Domini Regis: elapso autem anno, terra eadem ad rectum Dominum, scil. cet ad ipsum, de cujus feodo est, revertetur; verumtamen cum domorum subversione, & arborum exstirpatione. Hæc ille.

Observa autem, legaliter aliquem oportet esse convictum de Felonia; idcirco vis hujus legis privativa, priusquam reus legaliter sit convictus, locum habere non potest.

Bracton. *lib. 3 fol. 129. & 137.* sentit cum Fleta *lib. 1. c. 28.* sic dicente: Si autem utlagati, vel alii convicti terram liberam habuerint, illa statim capienda est in manus Regis, & per unum annum & unum diem tenenda, ad capitales Dominos post illum terminum reversura; & hoc habetur ex statuto M. Chartæ, quod tale est: Nos non &c.

Causa verò talis termini Regis, quia in signum Feloniæ olim provisum fuit, quod ædificia talium prosternerentur in terram, extirparentur gardina, ararentur prata, truncarentur bosci, & quoniam hujusmodi verterentur in grave damnum dominorum feudorum, pro communi utilitate provisum fuit, quod hujus modi dura & gravia cessarent, & quod Rex propterea per annum & diem totius terræ commoditatem perciperet; Secus autem, si terra non esset eschaeta Dominorum, post quem terminum Dominus proprietarius integre, absque vasto, vel destructione, reverterentur. Mirror *cap. 5. §. 2.* hanc etiam rationem refert, ut pœna ad paucos, metus ad omnes perveniat.

Sæpe ad se rapere volebant Reges cognitionem Feloniæ absolutam, sed tandem hac sanctione ipsis obviam itus est. Feloniæ convictus, vel gladio, vel securi, vel suspendio, vel quadri divisione, vel compressione ad mortem punitur. Gladius hodie cessat. Compressio ad mortem fit ponderum objectu, toties reduplicato, donec reus sub ponderibus animam exhalet: hora prima 50. secunda 100. tertia 2000. &c. oneratur super pectus.

C A P. XXIII.

OMnes Kidelli deponantur de cætero penitus per Thamesiam & Medevvein, per totam Angliam, nisi per costeram maris.

Nota: Kidellen & Skellen, modum piscandi prohibitum significat: & est species porpresturæ, à Gallico pourprise, præoccupare, obstruere: Audiamus Glanvvill *lib. 9. c. 11*, cujus hæc sunt verba: Dicitur autem porprestura vel purprestura propriè, quando aliquid super Dominum Regem injustè occupatur, ut in Dominiis Regis, vel publicis viis obstructis, vel in aquis publicis transversis à recto cursu; vel quando aliquis in civitate super regiam plateam, aliquid ædificando occupaverit; & generaliter quoties aliquid fit ad nocumentum Regii tenementi, vel regiæ viæ, vel civitatis &c. Hæc ille. Ex quo constat, Kidellos Londinensibus inprimis noxios fuisse. Id quod apparet ex *Rot. Cart. 18. Ico Anno XI. H. 3.* quæ *Part 2. Instit. Angliæ p. 38.* & huic capiti subjungitur. Præfecti sanè Turris Londinensis perstringuntur ibi, quod populum Kidellis istis non parum gravaverint. Kidelli Germanis quidam Rödær vocantur, propriè Fischreussen.

C A P. XXIV.

BReve, quod dicitur Præcipe in Capite, de cætero non fiat alicui de aliquo libero tenemento, unde liber homo perdat Curiam suam.

Nota: Bracton *lib. 3 fol 112. cap. 12. n. 2. & lib. 5. fol. 413. c. 17. n. 2.* Breve sic definit: Dicitur ideò Breve, quia rem de qua agitur, & intentionem petentis, paucis verbis breviter enarrat, sicut facit Regula Juris, quæ rem, quæ est, breviter enarrat. Idem habet Fleta *lib. 2. cap. 12. §.* dicuntur etiam brevia. Nos Germani epistolam inde dicimus Brieff. Sensus legis est, ne, qui Feuda libera tenent, graventur constitutione, Præcipe in Capite, vi cujus aliquis libertatem hujusmodi teneb[...]tur probare. Revisionem in Livonia huic Brevi persimilem deprehendo, vi cujus observavi, Possessoribus eos quos tenebant fundos, variis modis è manibus posse extorqueri, dummodo idoneus adsit Fisci Procurator.

C A P. XXV.

UNa Mensura Vini per totum Regnum Nostrum, & una Mensura Cerevisiæ, & una Mensura Bladi, scilicet quarterium Londinense, & una Latitudo Pannorum tinctorum, russetorum, & haubergettarum, sc. duæ ulnæ intra listas: De ponderibus verò sic, sicut de mensuris.

Nota: Privilegium hoc esse legis divinæ: Angli Commentatores ipsi agnoscunt *Levit. 19. v. 35. 36. Deut. 25. v. 13. 14. 15. 16. Prov. 11. v. 1. & 16. v. 11. c. 20. v. 10.* Inter Leges Canuti *cap. 9.* & inter Leges Wilhelmi Conquæstoris exstat: In mensuris & pondere [...]

fidelis esto iniquorum, ab iniquitate vero deinceps quisque temperet: Per commune Consilium Regni statuimus, quod habeat per universum Regnum mensuras fidelissimas, & signatas, & pondera fidelissima & signata; sicut boni Prædecessores statuerunt. Vide querelas *Amos c.5.v.11 c.8.v 4.* usque ad finem capitis. Huc facit locus. *Just. Histor. VII. pag 172.* Lata etiam est Lex, ut exemplar ponderum & mensurarum, quod in Scacario Regis, ut authenticum repositum est, in universum regnum dispergeretur; & pondera atque mensuræ ubique ad eam normam examinarentur, & reducerentur.

C A P. XXVI.

Nihil de cætero detur pro Brevi Inquisitionis, ab eo, qui inquisitionem petit de vita, vel de membris; sed gratis concedatur, & non negetur.

Nota: Breve hoc aliis vocabatur, de bono & malo. Exempli gratia, perpetravit aliquis homicidium, aut aliquem membro truncavit, id quod factum est, pluribus simul tumultuantibus; autor vero pro certo nesciatur, sed producantur probabiliores, de immicitia & simultate, sed capitali, inter læsum, & quis lædens præsum tur; tunc hoc Breve gratis dandum est. Captivus deinceps coram Duodecimviratu jurato & legali examinatur, & hæc est inquisitio illa. Idem ipse Duodecimviratus ex tempore creetur ad capiendum suspectum, & inquisitum detinere debet, quiquaversus transire velet; ita nunquam sine literis salvipassus peregrè abire quis in Anglia potest, cum velit. De hoc Duodecimviratu adeundus est Fortescue *c.27. de laudib. LL. Anglicar.*

C A P. XXVII.

Si aliqui teneant de nobis per feodi Firmam, vel per Socagium, vel Burgagium; & de alio teneat terram per servitium militare, nos non habebimus custodiam hæredis, nec terræ suæ, quæ est de feodo alterius, occasione illius feodi Firmæ, vel Socagii, vel Burgagii. Nec habebimus custodiam illius feodi Firmæ, vel Socagii, vel Burgii; nisi ipsa feodi Firma nobis debeat servitium militare. Nos non habebimus custodiam hæreditatis, vel alicujus terræ, quam tenet de aliquo alio per servitium militare, occasione alicujus parvæ seriantiæ, quam tenet de nobis per servitium, reddendi nobis cultellos, sagittas, vel hujusmodi.

Feodi Firma est, cum Dominus feudi sibi reservat repetitionem feudi pro certa summa, & intra certum tempus, aut simile aliud, ut cujus ad feudum liberum semper retineat regressum, adeoque sibi firmiter appropriatum facit. Res quæ hic depromptæ sunt è Libro Consuetudinum Normandiæ, *cap 32. 33.* Et illi quidem Anglorum Reges, qui Normanniam, jam Galliæ propriam, occupaverunt, ne ii rebellione Populi illam rursus amitterent, ejusmodi libertatibus eosdem sibi fecerunt æquiores; alias jugum absolutæ Superioritatis excussissent nationes istæ bellicosæ, & servire non adsuetæ.

Parva seriantia, est parvum beneficium militare. Ein kleiner Roßdienst. Seriantia, est origine Gallicum; Inquisitorem significat, vel potius Conquisitorem, qui quovis necessitatis tempore ad arma vocare, vel etiam ad Tribunalia conquirere debeat, constitutus est.

C A P. XXVIII.

Nullus Ballivus de cætero ponat aliquem ad legem manifestam, nec ad juramentum simplici loquela sua, sine testibus fidelibus ad hoc inductis.

Nota: Lex juramentorum levitatem præscindit, & Ballivorum restringit Tyrannidem, ne liberos homines arrestis vexent, nisi prius juratis testibus aliquem convincant. Simplex enim loquela significat negationem, vel affirmationem. Beckton autem ait: Vox Simplex nec probationem facit, nec præsumptionem ledit: Item non per sectam, quæ fieri potest per domesticos & familiares, secta enim probationem non facit, sed levem inducit præsumptionem; & vincitur per probationem in contrarium, & per defensionem per legem.

C A P. XXIX.

Nullus Liber Homo capiatur, vel inprisonetur, aut disseisietur de libero tenemento suo, vel libertatibus, vel liberis consuetudinibus suis, aut utlagetur, aut exuletur, aut aliquo modo destruatur; nec super eum ibimus, nec super eum mittemus, nisi per legale judicium Parium suorum, vel per Legem terræ: Nulli vendemus, nulli negabimus, aut differemus justitiam, vel rectum.

Liber Homo.] Hæc Lex extendit se, ad omnes personas liberas, cujuscunque ætatis, sexus, status. Vi ergo Legis hujus, nemo, ne manu quidem prehendi potest, præter Legem territorii sui, in quo habitat: Deinceps non potest dispossideri à nulla re sibi propria, quocunque nomine illa venit.

De Libertatibus.] Vox hæc triplici modo sumitur; 1. pro legibus Regni, quæ vocantur Charta Libertatum. 2. Pro magnis illis Privilegiis Mercatorum, qui appellantur The Company of the Merchant Tailors of Engelland, illi enim pro se, & emolumento suo, inter se, tàm domi, quàm foris, possunt stipulare, contract. inire, firmare, Leges & ordinantias de rebus ipsos concernentibus, quantum attinet ad civilia, mutuo concedere, suis societatibus tenendas, observandas, & exequẽdas efficere; & contravenientes mulctare, confiscare, arrestare, inhibere & c. prout casus & negotiorum concordiæ ferent, vel postulabunt. 3. Generalissimè tamen monopolia, exactiones injustæ, concussiones, extorsiones, violentæ, fraudulentæ, circumventoriæ & captiosæ, mutuationes,

donationes, hypothecationes, alienationes &c. hâc lege Regibus interdicuntur.

Liberis Consuetudinibus.] Vel consuetudinibus Regni, vel generalibus vel particularibus: nam & alibi dicitur, quod Consuetudines Angliæ sint mater Libertatum.

Utlagetur.] Utlagare, significat exlegem facere, id est, omnibus aliàs competentibus, vel aliquibus juris beneficiis spoliare. Est ergo hæc phrasis fortiter passiva in libero homine, si ille utlagatur, tunc omnium injuriis exponitur: wird vogelfrey. Verbum hoc est à privativa particula utur, auß / herauß/hinauß/ niemal drinnen verstattet seyn gewesen/ oder werden können. & lag, quod est Danicum; significat autem Legem & talem, quæ protegit: & Laaman, id est, Custos legis, ejusmodi enim Leamannus, contra Consulum & aliorum Magistratuum injurias, tenetur defendere & protegere quemvis: ergo qui utlagatur, ille omni beneficio juris, adeoque omni dignitate privatur; quod quidem vi Legis hujus, nunquam à Rege, sed semper per Pares fieri debet: adeoque nemo patriam perdere potest, nisi Parium judicio.

Exuletur.] Nemo potest in exilium mitti aut proscribi, aut ejici è territorio suo, nisi autoritate Parlamentaria, aut in casu conspirationis & Feloniæ contra communes Leges; tunc enim extorris fieri debet. Et hâc ratione Rex ne exilio quidem specioso, aut ostracismo secreto, scilicet sub larva Legationis, aut specie militiæ, aliquem è Patriâ sua potest amandare. Exemplificatur hoc, casu quodam, qui contigit, anno 44. Eduardi Regis hoc nomine III. adeoque Christi 1371. circiter. Nam Rex Richardum Pembrokum, Portuum quinque Custodem, diversis officiis dignatum, virum per celebrem, potentem, strenuum, & opulentum, licet ille ad Parlamentorum privilegia provocaret, modò per fraudem, modò per vim, voluit in Hyberniam amandare; sed Parlamentum vi hujus legis Regi restitit, & actiones ejus omnes contra dictum Pembrokum exercitas, damnatas irritasque pronuntiavit. Vid. *Rot. Claus. Anno* 44. *Ed. Sir Richard Pembrughs case, & Part.* 2. *Instit. p.* 48.

Aliquo modo destruatur.] i. e. nullius corpus, membravé, vel tortura, vel morte destruantur; nemoque exhæreditetur, nisi prius sit auditus, & ad præmissas accusationis responderit. Vide Fortescue *cap.* 22. de laudibus Legum Anglicarum. Mirror certè JCtus Anglus *cap.* 2. §. 3. fatetur, & ferè conqueritur, quantopere Reges sæpenumero, per destructiones ante latam hanc Legem, in Cives Regni, deliquerint, & constanter asserit, ab ejusmodi insolentia Reges hâc Lege prohiberi. Et tenendum, quod Commentatores hic ponunt Regulam, cujus hæc sunt verba: Quando aliquid prohibetur, prohibetur omne, per quod devenitur ad illud. Additur exemplum Thomæ Comitis Lancastriæ, qui fuerit destructus, & ad mortem damnatus 14. anno Eduardi II. (qui fuit A. C. 1322. circiter) eundem vero excepisse contra Regem ex hac Lege: (1.) Quod non fuerit aranianus, & ad responsionem positus tempore pacis, eo quod Cancellaria & aliæ Curiæ Regis fuerunt apertæ; in quibus Lex fiebat unicuique, prout fieri consuevit. (2.) Quod contra Chartam de Libertatibus, cum Thomas dictus fuit unus Parium, & Magnatum Regni (ubi ad hanc Chartam provocavit) tamen per recordum, i. e. sententiam executivam, tempore pacis, absque aranamento seu responso, fineque judicio Parium suorum legali, contraque tenorem & Legem M. Chart. ad mortem sit damnatus. Adstitit ipsi tunc in foro, contra Regem, Henricus, Frater ejus, Comes quoque Lancastriæ. Et significanter adduntur verba, aliquo modo, ut omnis violenta prosecutio conculcetur.

Nec super eum ibimus.] Locutio hæc, insuper aliquem, videtur ex lege divina esse desumta: Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dextram vel sinistram &c. *Deut cap.* 17 *v.* 20. Justitiæ quoque incorrupta administratio fertiò pronunciatur; sensus ergo genuinus est, nil fiat à Rege, autoritate privata, sed Parlamenti, publica; propterea quotannis duo Parlamenta, ex vetustioribus institutis, haberi debebant: nihilque nisi per leges terrarum, aut per Pares puniendorum. Atque adeo hâc lege, omnes personæ, bona, fortunæ, libertates, resque hominum universæ, à Regis Dominio privato eximuntur, & tutelæ ordinariarum Legum, ac Parium cujusvis judicio legali, & fiduciatio demandantur.

Nec super eum ibimus, nec super eum mittemus, nisi per legale &c.] Variè amplificatus, & extensus, & beneficiatus hic textus invenitur *Part.* 2. *Instit. pag.* 49. Et confirmatus per varia statuta Parlamentaria. *1. Henr. 4. anno Parlam.* 1. 13. *H.* 8. *anno Parl.* 1. 10. *Edu.* 4. *Parlam* 6. & exemplificatur casibus suis, ubi vide. Mittere super aliquo, quid sit, didicimus in Germania, ubi miles executor, pro lubitu Quæstorum & Tribunorum, super liberas personas missus est. Lege Gravam. Imperii, Pomeraniæ, Acta Convent. Lipsiens.

Per legale judicium.] *Vid.* 3. *Part. Instit. cap. Treason* Quæ Privilegia præveniunt Regem, ne odium animo conceptum prohibitione absoluti Dominatus in quemquam evomat. Exemplificatur hoc casu quodam in puncto tradimenti, quod accidit anno 8. Wilhelmi Conquæstoris; nam dum ille ex Angliâ abesset, quidam in ipsum conspirarunt, & Danos revocare in Regnum voluerunt: quos Rex, licet Dominatum gladio adeptus, æque per Pares judicari procuravit. Horum exemplorũ sunt plura, quę vide *Part. Instit.*

Instit. 2. pag. 50. Nimirum Regi non erat licitum, aliquem in bancum Regium, aut ad tribunalia, sibi propria, ullo modo citare, aut raptare; nisi quis judicio patriæ domestico sit condemnatus, & per Commissarios (vide Fortescue c. 25. 26. & 27.) ad id deputatos, & accusatus, & legaliter convictus.

Judicium Parium.] Pares sunt, qui Sessionem in Domibus Parlamenti habent, hi a Parlamentariis judicantur: Nobiles alii, à suis similibus; & sic consequenter quilibet per suos æquales.

Per legem terræ.] Ubi observa, fundamentum & clausula finalis, in omnibus Commissionibus ita tenet: Secundum Legem & consuetudinem Angliæ. Bractonis verba huc mutuum faciunt, qui criminum denunciationes refellit, sic dicendo: „Fama, quæ suspicionem inducit, oriri debet „apud bonos, & graves, non quidem malevo-„los, & maledicos, sed providos & fide dignas „personas; non semel, sed sæpius, quia clamor „minuit, & defamatio manifestat; hæc rumor ciò „evanescit, sed defamatio continuata, præsum-„tionem veritati infert.)

Nulli vendemus.] Glossator ait: Hereby it appeareth, that Justice must have three qualities, it must be Libera, quia nihil iniquius venali justitia; Plena, quia justitia non debet claudicare; & Celeris, quia dilatio est quædam negatio; and then is both Justice and Right. Id est, & dum demum est Justitia & Jus.

Nulli negabimus, aut differemus.] Glossator demonstrat, per aliquot Statuta Parlamentaria, subsecuta Magnam Chartam, nec Jura communia, nec Leges communes, ulli licere modo quocunque (cujus omnes sibi species, imprimis privati & magni Sigillorum, aliorumque enarrantur) disturbare, violare; prout *Part. 2. Instit. Angl. p. 26. §. hoc.* Et imo Regni Leges communes apud neminem differri debent, contra quemvis; quia Lex est supremum sanctuarium, quod quis con tingere potest, & tutissimus Burgus vel Castrum ad protegendum; & Lex est tutissima cassis, itemque, sub Clypeo Legis nemo decipitur.

Justitiam, vel rectum.] Rectum hic sumitur pro Lege, & Jure h[illegible], cujus notationis est (1.) quod sit recta linea, Justitiam distributivam concomitans, & dirigens: Hincque omnes Commissiones, Oyer (i. e. ad audiendum, sive cognoscendum causam) & Terminer (i. e. terminandam Justitiam, eam non procrastinando &c.) aut aliæ qualescunque, hanc annexam habent clausulam: Facturi quod ad Justitiam pertinet, secundum Legem, & consuetudinem Angliæ. Hocque vocatur jus commune, Lex publica (2.) Rectum hic sumitur pro eo, quod dirigit ea, quæ sunt distorta, & hinc recta linea est index sui & obliqui: Vocatur Anglis Direction, quod per legem discernendum sit, id quod est justum (3.) Rectum vocatur, quia optima est objectorum defensio, apud ipsorum bona, terras, conjuges, liberos, corpus, honores; æstimationemque eorum protectio contra injuriam, & Tyrannidem: Major enim hæreditas venit unicuique nostrum, à jure & legibus, quam à parentibus, ait rectè Cicero:

(4.) Sumitur pro Brevi de recto, de jure, quod quis habet per Legem terræ. In summa: Hæc Lex est mille auro, & sicut illud, nobilitate sui, auget desiderium se adspiciendi, habendi, & mirandi; ita hæc Lex non potest satis laudari, sicuti Glossator concludit *Part. Instit. 2. pag. 57.*

C A P. XXX.

Omnes Mercatores, nisi publicè antea prohibiti fuerint, habeant salvum & securum conductum, exire de Anglia, & venire in Angliam, & morari, & ire per Angliam, tam per terram, quàm per aquam, ad emendum vel vendendum, sine omnibus malis tolnetis, per antiquas & rectas consuetudines, præterquam in tempore guerræ. Et si sint de terra contra nos guerrina, & tales inveniantur in terra nostra in principio guerræ, attachientur sine damno corporum suorum, vel rerum; donec sciatur à nobis, vel à capitali Justitiario nostro, quomodo Mercatores terræ nostræ tractantur, qui tunc inveniuntur in terra illa contra nos guerrina: Et si nostri salvi sint ibi, alii salvi sint in terra nostra

Nota: Caput hoc in specie concernit Mercatores externos; ulterius probè considerandum est, quid Leges antiquiores, de his, quæ Statutum hoc concernunt, senserint. Adducit Glossator Mirrorem insignem JCtum Anglum, qui *cap. 5. §. 3.* allegit Alfredi Regis Legem, qui præfuit circa Annum Christi 871. & regnavit annis 29. quo tempore Imperium à pluribus jam devenerat ad unum, cujus Legis fragmentum docet, Mercatores peregrinos, si ab hostibus sint, quater posse forum celebrare, nulli autem eorum licitum esse, in Regno ultra 40. dies morari. Inter Leges autem Ethelphredi Regis (qui aliis Athelfridus, Germ. Edel fried/ & circa annum Christi 593. regnavit) *cap. 2.* talis extat Lex: „Mercatorum „naviga vel inimicorum quidem, quæcunque ex „alio (nullis jactata tempestatibus) in portum „aliquem invehuntur, tranquilla pace fruuntur; „quin etiamsi maris acta fluctibus ad domici-„lium aliquod inflatæ, ac pacis beneficio dona-„tum navis appulerit inimica, atque illuc nautæ „confugerint, ipsi & res illorum omnes augusta „pace potiuntur. Hæc Glossator *Part. 2. Instit. pag. 57.*

1. Statutum hoc vult dicere per voculam publicè, non licere Mercatores peregrinos, etiam si inimicorum, privata autoritate, è regione ejicere, in eo injuriare, detinere, gravare, angariare &c.
2. Mercatoribus, amicis peregrinis hæc conferuntur Privilegia. 1. Exitus liber ex Anglia. 2. Aditus & accessus in Angliam. 3. Morari in eâ. 4. Ire, meare in Anglia per terram & mare vel aquam. 5. Ad emendum vel vendendum. 6. Absque injustis exactionibus. 7. Sub privilegio legalium consuetudinum.
3. Exceptio attendenda, quæ hic est; nam in Repub. maxime conservanda sunt jura belli: & allegatur hic in margine *Regist. 129 de arrest fact.* super bonis mercatorum, alienigenarum.

Clericus, Agricola, & Mercator tempore belli uti oretque colat, commutet, pace fruuntur.

Malis tolnetis.] E Gallico maletout, quod est, obsoletum, & significat exactionem injustam, quæ fit per consuetudinis, subsidii, præstationis, impositionis &c. vel pro exportando, aut importando, prætensionem, quo ipso negotiationes tolluntur & impediuntur.

Per antiquas & rectas consuetudines.] Intelliguntur antiquæ & legales constitutiones, ad animandos Mercatores, ut seduli sint, in eundo &c. Consuetudinis vox præterea in legibus diversas habet significationes: 1. Pro publicis sumitur Ll. sic dicitur Consuetudo Angliæ. 2. Jus significat Statutarium, quod communi Consilio Angliæ editur, sed nota; communi Consilio, veluti Acto Parlamenti. 3. Particularem consuetudinem, ut Gavelkindorum &c. 4. Servitutes pro Dominis. tit. Consuetudines & servitia. 5. Tributa, aut impositiones, ut de novis consuetudinibus levatis in Regno, sive in terra sive in aqua. 6. Subsidia, communi consensu, vel autoritate Parlamentaria: hæc Consuetudo nova quædam vocatur, ne transire possit in legalitatis valorem: Et nova hæc Consuetudo cœpit sub Eduardo I, Henrici III. Filio, sed clausulata est vocula nobis, quasi dicat & innuat tacite: non posteris: item fundata est ad Parlamentorum frequentationem anno 3. Ednardi III. qui fuit A. C. 1275. dat. 10. Nov. anno prædict. Et dicit glossa sextam modo dictam significationem hic specialissimè intelligi, & probat hoc statuto de Scaccario (ærario) facto anno 51. Henrici III. hujus, & statuto alio ante hoc anno regni, dicti Regis nostri 48. edito, facta Proclamatione, contra suggerentes i. e. consulentes) Regem velle exigere tallagia (i.e. exactiones) inconsueta, & introducere extraneos: vid. *Rot. Par. Anno* 48. *H 3. a tergo.* Huc etiam referuntur Acta illa Parlamentaria, quæ vulgò vocantur Confirmationes Chartarum; quæ nil aliud sunt, quàm explanatio Magnæ Chartæ. Et ecce aliam confirmationem Glossæ, ubi Anno 34. Eduardi I. provisum est his verbis: „Nullum tallagium, vel auxilium, per nos, vel „hæredes nostros in Regno nostro ponatur, seu „levetur, sine voluntate & assensu Archiepisco„porum, Episcoporum, Comitum, Baronum, „Militum, Burgensium, & aliorum Liberorum „Comitum de Regno. Atque sic hæc clausula est exemplificatio Magnæ Chartæ, habens effectum hujus materiæ de tallagiis. Fleta, JCtus Anglus, *lib.* 2 *c.* 21. de Mercatoribus externis, idem refert, quod hîc dixit Magna Charta. Anno certè Eduardi III. 13. gravis exactio fuit, de qua se ipsum excusat dictus Rex, his verbis: „Cum Po„pulus Regni nostri variis oneribus, tallagiis, & „impositionibus hactenus prægravetur, quod „dolentes referimus. Vid. Rot. alinance 13. Ed. III *memb.* 22. *in dorso.* Fortescutius certè, Henrici Sexti Cancellarius, qui Prærogativam Regis etiam intellexit, *cap.* 9. *& cap.* 18. de laudibus Legum Anglicanarum ait: Non potest Rex subditum retinentem onerare impositionibus. Lector sedulus inquirat in reliqua, quæ *Part.* 2. *Instit. p.* 57. *usque ad pag.* 64. habentur, omniaq; statutis Actis, Rotulisq; Publicis exemplificata inveniet.

CAP. XXXI.

SI quis tenuerit de aliqua Escaëta, sicut de honore Wallingford, Nottingh. Bolon. & de aliis Escaëtis, quæ sunt in manu nostra, & sint Baroniæ, & obierit hæres ejus; non det aliud relevium, nec faciet nobis aliud servitium, quam faceret Baroni, si Baronia esset in manu Baronis, & Nos eodem modo eam tenebimus, quo Baro eam tenuit. Nec Nos occasione talis Baroniæ vel Escaëtæ habebimus aliquam Escaëtam, vel Custodiam aliquorum nostrorum hominum; nisi de Nobis alibi tenuerit in capite ille, qui tenuit Baroniam vel Escaëtam illam.

Nota: Lex hæc Regis Prærogativam arctè circumscribit, & allegat Glossator *Part.* 4. *Instit. Anglican. cap. Duch of Lancastre. sect.* 28. *H.* 6. 11. *per touts les instices* 1. *Ed.* 6. *Brovv. tract.* 53. *Stamford. Prærogativ.* 29 *b.*

Escaëta.] Sunt bona caduca, & quidem Regi adjudicata, vel propter Feloniam, vel propter proditionem. Vi autem Legis hujus, liberi delinquentis, quotquot tempore reatus à patre contracti vivebant, omnia amittebant; nisi reus Compressionis pœnam sustinerit: Tunc enim omnia redibant ad hæredes. Idcirco illis prospicitur hac Lege, ne Regibus liceat vel hæredes, vel alios successores, præter Regni Consuetudines gravare.

CAP. XXXII.

NUllus Liber Homo det de cætero amplius (alicui) de terra suâ, quàm de residuo terræ suæ possit sufficienter fieri domino feodi servitium ei debitum, quod pertinet ad feodum illud.

Nota: Ratio Legis est, ne Rex, vel potentiores aut ditiores, aut Regis creaturæ, vel junctim vel separatim, astu & dolo, feudi, & quidem per gradus, aut impetu ad se rapiant; ac deinceps durioribus, quàm fert antiqua Libertas, conditionibus, in alios conferant, & sic tensim se faciant Dominos absolutos, & legibus incircumscriptos.

Liber Homo.] Quoniam hæc phrasis in hâc Magna Charta multoties occurrit, ita inferri potest: Anglos non omnes ita liberos esse, ut non aliqui existant, qui pro servis haberi possint. Verum quidem illud est, sed cum grano salis; id quod Thomas Smithus in Descriptione Angliæ, *cap.* 10. *pag.* 277. *seqq.* congruè & prolixè docet: §. Servi pluribus &c. sic pergit: „Cæterum ex quo fidem Christianam amplexi sumus, quæ per Chri„stum omnes nos fratres efficit, & coram Deo „Christoque conservos, religio hominum ani„mos invasit, ne, quos fratres agnoscere, & Chri„stianos oportet, id est, per Christum sempiterna „salute gavisuros, prædura servitute opprimere„mus. Hinc effectum est, ut sancti Patres, mo„nachi, fratresque, in arcanis illis conscientiæ „colloquiis, confitentes impulerint, & instante „quidem potissimum mortis periculo, ut statu li„beros & ingenuos, ex servis redderent: Cum „interim illi patres nil tale præstarent, sed de „prædandis, diripiendisque Ecclesiis suis intenti, „mancipia Ecclesiastica non liberarent, servos „suos in servitute retinerent; quorum exemplis „Episcopi insistentes, ab ista crudelitate, nisi pre-

„tio

,,tio conducti & calumniis impetiti, sero detet ,,teri potuerunt: Dein æquatis solo Monaste-,,riis, & in manus Laicorum recidentibus, liber-,,tatem omnes adepti sunt. Hæc ille. Pergit vero idem §. Non easdem de hac materia: ,, Ve-,,rum pro Dominorum arbitrio, fundis quibus-,,dam gaudere, rem uberiorem comparare ipsis ,,permissum, ut detonderi à Dominis aliquando ,,possent; non secus atque Galli faciunt, &c. Ni-,,titur in sequentibus autor noster inhumanita-,,tem hanc quodammodo purgare, sed argu-,,mentis parum firmis; pergit deinceps descri-,,bere, Servorum genus aliud dicendo: Frequens ,,etiam est in Anglia servitutis genus, quod (a ,,prentice) tyro dicitur. Sed pactionibus hoc ,,constat, & quamdiu manet obligatio, vera est ,,servitus &c. Idem etiam in Civitatibus Inferioris Saxoniæ, quin in Imperio Romano passim observatur, ut nimirum tyrones stato temporis spatio sint servi, id quod magis fit ad retinendam juventutis ferociam, quàm servitutem seriò stabiliendam. Servi glebæ adscripti præterea in Anglia quoque sunt, sed perpauci.

Summa aliàs capitis hujus est: Feuda onerari ultra ratam portionem, a nemine nec posse, nec deberi: sed quo titulo aliquis est ingressus intenementum aliquod, eo, nec majore, nec minore, sit contentus.

Exemplificabo: Rex alicui vellet feodum conferre, non pro servitio aliquo militari, sed pro certa quadam summa. Emtor numeraret pecuniam, speraret feodi possessionem, & usumfructum sibi, & masculis hæredibus, quamdiu tales forent, jam appropriari. Res autem ratificanda per Judices Regis, annullaretur, &, Emtor sic haberet nihil. Tunc Lex hæc ipsum Regium Senatum prohibet, ne tàm injuriosam sententiam pronunciet; ipsumque prævenit, ne quid tale per vim & fraudem conitatur. Inquire in casum Domini Lowell, ejusque decisionem.

C A P. XXXIII.

OMnes Patroni Abbatiarum, qui habent Chartas Regum Angliæ de advocatione, vel antiquam tenuram, vel possessionem, habeant earum custodiam, (cum vacaverint) sicut habere debent; sicut superius declaratum est. *Cap. 5.*

Nota: Si vacaverit Abbatia, tunc Patronus in temporalibus retinet jus Patronatus, is quidem, qui Patronus, tempore vacantiæ, existit; adeoque nec Regi, nec alii in ejusmodi vacantias involare licet, nisi ipse Rex sit, reapse Patronus: in illo enim casu jus suum retinet, prout aliis relinquere tenetur.

C A P. XXXIV.

NUllus capiatur, aut imprisonetur, propter appellum fœminæ de morte alterius, quàm viri sui.

Capiatur.] Capiuntur, qui suspecti sunt de fuga; & de quibus nondum certum constat, an sint in culpa: & sic carcer esse debet custodia, non pœna.

Imprisonetur.] Id est, arctiori carceratione coërceatur, de quorum delicto certò constat.

Appellum.] Significat accusationem quamlibet Criminalem, sed in specie super homicidio. Fleta dicit: Fœmina autem de morte viri sui, inter brachia sua interfecti, & non aliter poterit appellare. Videtur licentia accusandi mulieribus, propter sexus imbecillitatem, interdicta esse.

Appellum fœminæ.] Glossator hic etiam dubium movet de Hermaphroditis, & respondet: Si prædominatur sexus masculinus, tunc in casu homicidii deprædationis &c. talis potest accusare: Sin verò accusatio personæ istiusmodi, ut quæ est sexus sequioris, non conceditur. Dann ihr Brieff hat ein Loch. Iterum tenendum, pellicem, meretricem, & concubinas ab accusatione excludi, per verba Fletæ (inter bracchia) ubi textus antiquæ legis ait: Unques accouple in loiall matrimoni, id est, quæ legitimo matrimonio copulata est. Ecce, quam sanctè, etiam prisci Anglorum, matrimonium coluerint, quamque aversi fuerint à libidinib⁹ vagis, ut homicidii accusationem personis legitimè non copulatis cōcedere noluerint.

C A P. XXXV.

NUllus Comitatus de cætero teneatur, nisi de mense in mensem, & ubi major terminus esse solebat, major sit. *Vide 2. Edu. 6. c. 25.* Nec aliquis Vice-Comes, vel Balivus suus faciat Turnum suum per Hundredum, nisi bis in anno, & non nisi loco debito & consueto. Viz. semel post Pascha, & iterum post festum S. Michaëlis & visus franciplegii, tunc fiat ad illum terminum S. Michaëlis, sine occasione. Ita scilicet, quod habeat quilibet libertates suas, quas habuit, vel habere consuevit tempore Regis Henrici, Avi nostri, vel quas postea perquisivit. Fiat autem visus de franckplegio sic: videlicet quod pax nostra teneatur, & quod Tithinga teneatur integra, sicut esse consuevit; & quod Vice-Comes non quærat occasiones, & contentus sit de eo, quod Vice Comes habere consuevit, de visu suo faciendo, tempore H. Regis, Avi nostri. Vid *Marlb c 10.*

Comitatus] Hoc Loco, & in hac lege, sub initio, significat Conventum in Comitatu: Comitatum tenere, hic non significat possidere, ut alibi; sed Conventum Comitatus Legalem celebrare. Et quod modò vocatur Comitatus, id temporibus Romanorum, in Regno isto Britanniæ, vocabatur Consulatus; & qui modò vocantur Vice-Comites, tunc temporis Vice-Consules (vel, Proconsules) vocabantur; ille vero dicebatur Vice-Consul, qui Cos. absente ipsius vices supplebat in foro.

Conventus hic Saxonibus vetustioribus vocabatur Schrysmoth, i. e. Scherifsmor, sive Vice Comitis mora temporaria, in loco ad jus dicendum. Ejus duo sunt genera, quorum alterum hodie Counti-Court, i. e. Comitatus, conventus; Alterum Turnus, sive, le tourne de viscount (Die Tagfahrt des Vice-Grafen/Germ.) olim Folkmote (des Volcks Wort oder Besprechung) quia Populi vox propositiva, deliberativa, consultiva & plebiscitiva, in ejusmodi diæta, ritè, plenè, & non interruptè, sed liberè personare debet. Mot enim Gallicum vocabulum Latinis verbum; hinc Alemannis Mozger, Mozgen, i. e. hallucinatorem, hallucinari, ut qui verba ore mandendo, nolit per stupiditatem, aut affectatam etiam malitiam exprimere: præterea sæpè Turnus Vice-

Comitis ipsius Comitatus diætam significat. Videatur Liber ruber in Scaccario c. 18.

Locus illustrandus venit à Legibus Henr. I. *c. 8. tit.* de generalibus placitis Comitatuum, ibi verbi causa sequuntur à continentur: „ Sicut antiqua „fuerat institutione formatum, salutari Regis imperio vera recordatione firmatum, generalia „Comitatuum, i. e. Tournorum placita, certis „locis, & vicibus, & definito tempore, per singulas anni Provincias, convenire debere, nec ullis „ultra fatigationibus agitari; nisi propria Regis „necessitas, vel commune Regni commodum „sæpius adjiciant. Intersint autem Episcopi, „Comites, Vicedomini, Vicarii, Centenarii, „Aldermanni, Præfecti, Præpositi, Barones, „Vavassores, Tingrevii, & cæteri Terrarum „Domini, diligenter intendentes; ne in eorum impunitas, aut graviorum pravitas, vel „Judicum subversio solita, miseros laceratio„ne confirmant. Agantur itaque primo debi„ta veræ Christianitatis jura; secundo Regis „*placita*, postremo causæ singulorum &c. De „bet einn Schrivemote, und Schirefes Tour„ne, bis *Hundreda*, & *Wapentachia*, i. e. the „Counti-Courts, duodecies in anno agitari.

Tournus.] Anno, in Unzug. Germ. Visitations-Tag / Landtag / Crainstag / Streittag. Liv. nibus Recension, sed hæc omnia, pro nationum diversitate, partim differunt. Tantum hæc dico, ut, quid sit vox Tournus, sciatur.

Tingrevii.] i. e. Dinggrefen. Judices juris dicundi Inspectores, ne quid præter leges fiat, die das Recht dingen, i. e. limitibus definiunt, & pactis dimetiuntur; Dinggrefen enim est, pacisci.

Centenarii.] i. e. Hundertmanner. Hæc est potestas Tribunitiæ Romanorum quodammodo similis, sed quod experientia docet, in Germania nostra merè umbratilis.

Aldermanni.] i. e. Seniores Populi. Tribubus opificum Præfecti, Collegiorum quoque, & Societatum capita. Apud Anglos sunt magnæ, & autoritatis & dignitatis: Vroedschapen Belgis contœderatis dicti, à vetere verbo, Vroeden, id est sapere, & judicare dicti, quod sapientes esse debeant, ad salutem populi procurandam. Hi, in quibusdam Germaniæ locis, in superiores & inferiores distinguuntur. Apud Hamburgenses Octoviralem Tribunatum, vel potestatem constituunt, ad quam dignitatem viri boni evehuntur, qui deinceps in Senatum adsciscuntur, & defunctorum Vices supplent.

Placita.] Supra alibi, quid placita sint, indicatum est. Vocabulum autem hoc, quod proprie tenendum, non est activum, quasi vim habeat Imperii, sed mere passivum, & habet vim quidem supplicandi, petendi, postulandi, imo & accusandi, non vero exequendi; idemque verius epis hoc est remotiore est, à significatione Belgarum, apud quos (de contœderatis loquor) obtinet vim merè activam, mandantem, prohibentem, & ita Ibedisent.

Gravionum.] Pro, Gravaminum, Gallicismus, ad imitationem verbi Environer, i. e. vias circundare, cingere.

Hundreda.] Delecti quidam è Centenariis, singulis mensibus debebant Comitatum, colligendorum gravaminum gratia, circuire.

Wapentachia.] Actus diribitorius, vel Diætam armilustrii gratia habendam, vel armorum inspectionem curiosiorem significat, Wapen. Allemannis Waffen / Latinis armatura omnigena, Tach, si venit derivatio à Tag / diætam notat: si à Francico Tacher, contractum significat; utraque Philologia potest rem definire.

Et fideliter dictus Rex Henricus I. ait: Sicut antiqua fuerat institutione formatum. Et profecto antiquitas hujus statuti pluribus, *Part. 2. Instit. Anglicarum pag. 70.* è quodam Lamberto *fol. 135.* firmatur, ubi citatur Regis cujusdam Edwardi (qui fortassis ille erit, quem Confessorem vocitant, & qui regno præfuit Anno Christi 1042. usque ad annum 1066.) statutum, cujus verba hæc sunt: „ Statutum est, „quod ibi (sc apud Folkmote) debent om„nes convenire, & fide & sacramento, non „fracto, in unum & semel confœderare, ad de„fendendum regnum, una cum Domino suo Re„ge; & terras suas, & honores illius, omni fide„litate cum eo servare, & quod illi, ut Domino „suo Regi intra & extra Regnum universum „Britanniæ fideles esse velint. Hanc legem „invenit Arthurus, (qui quondam fuit inclytissimus Rex Britonum) & ita consolidavit, „& confœderavit Regnum Britanniæ universum semper in unum; hujus legis autoritate „expulit Arthurus prædictus Saracenos, & inimicos, è Regno. Lex enim ista diu sopita fuit, „donec Edgarus, Rex Anglorum, qui fuit „Avus Eduardi Regis, illam excitavit, & erexit „in lucem, & per totum regnum firmiter ob„servari præcepit: &, hujus Legis autoritate, „Rex Ethaldredus, subito uno & eodem die, „per universum regnum Danos occidit.

Inter Leges Eduardi Regis ante *Conq. I.* (*cap XI. fol. 51.*) cui Rex Alfredus successit. Hæc inter Acta relata est, cujus sunt verba: „ Præpositus „quisque (Saxonicè Gerefa, Anglicè Scheriffe) ad quartam circiter septimanam frequen„tem Populi concionem celebrato, cuique jus „dicito æquabile, litesque singulas, cum dies „condicti advenient, dirimito.

Hinc apparet, quod Publicis diætis, Justitiæ gratia habendis, partium causæ in conventu Comitaribus, audiri & dijudicari debuerint; & singulis quidem mensibus, quod approbat Magna Charta, eamque subsequentia statuta, & continuus usus usque ad hunc diem.

Et ulterius inter leges Edgari Regis. *Cap 5. f. 80.* sic, quod bis Vice Comitis Turnum attinet, provisum fuit: „Celeberrimus ex omni satrapia

bis

,,bis quotannis conventus agitur, cui quidem illius Diœcesis Episcopus & Senator ,,intersunto; quorum alter jura Divina, alter ,,humana populum edoceto.

Et ubi major terminus.] Mensis Legalis, apud Anglos 28. diebus constat, textus autem vult, Comitia differri quidem posse, sed non nisi summa necessitate id fieri debere.

Nec aliquis Vice-Comes.] Tempus Scherifsis designatum, mensis primus post Pascha, & primus post Michaelis.

Et visus Franciplegii.] Franciplegium significat liberam Advocaturam, actionem, accusationem, defensionem; atque vel respectu liberorum hominum, coram quibus, vel per quos, vel pro quibus, vel contra quos. Et est potestas derivativa, ejusdemque Jurisdictionis, cum primitiva. In his autem Franciplegiis acris fiebat inquisitio, in omnis generis criminosos: & executione mandabatur omne id, quod pertinebat ad pacem publicam.

Et quod Vice-Comes.] Fortescue c.24. sic ait: Vice-Comes jurabit super sancta Dei Evangelia, inter articulos alios, quod non aliquid recipiet colore, aut causa officii sui, ab aliquo alio, quam à Rege. Hæc ille.

C A P. XXXVI.

NEc liceat de cætero alicui, dare terram suam alicui domui Religiosæ, quod resumat illam de eadem domo tenendam. Nec liceat alicui domui Religiosæ terram alicujus sic accipere, quod tradat illam illi, à quo eam accepit tenendam. Si quis autem de cætero terram suam alicui Domui Religiosæ sic dederit & super hoc convincatur, donum suum penitus cassetur, & terra illa domino illius feodi incurratur. Vid. *Stat. de Religios. An. 3. Edu. I.* (Anno C. 1275.)

Nota: Sensus legis est: Religiosis non esse concedendum, ut bona aliqua, vel sua, vel aliena teneant immediatè; nihilque arte, vel ingenio excogitetur, quod contra hoc statutum sit. ,,Bracton *lib. 1 fol.* 13. ait, quod li,,citum sit Donatori rem datam dare, vel ,,vendere, cui voluerit; exceptis viris Reli,,giosis & Judæis. Congruè & convenien,,ter Statutum 7. An Edvv. I. (de anno Chri,,sti 1279.) ait, quod nullus Religiosus, aut ,,alius quicunque (i. e. cujuscunque sit qua,,lificationis aut conditionis, Ecclesiasticus, ,,vel Laicus, Politicus, vel subditus) debeat ,,terras, aut tenementa aliqua emere, vel ,,vendere, sub colore donationis, aut termi,,ni, aut ratione alterius tituli cujuscunque ,,terras, aut tenementa ab aliquo recipere, ,,aut alio quovis modo, arte, vel ingenio sibi ,,appropriare præsumat, &c. Verba hæc si,,gnanter exposita & applicata sunt Año 15. ,,Rich II. vel Christi 1392. *cap. 5.* Anno 19. ,,Hen. VI. vel Christi 1441. *cap. 56.* quin imò ,,Anno 41. Eduardi III. *cap. 16. & 21.* Anno ,,Christi 1368. & Anno Henr. VIII. 29. qui ,,erit Christi 1517. Br. Mortmain 39.

Ratio Legis autem hæc est, quia hoc modo fraus fiebat Dominis superioribus, & quoad reditus, & quoad jurisdictionem; idcircò donationes, & alienationes ejusmodi erant prohibendæ. Utinam verò vel ante Seculum Germania ejusmodi Privilegio sibi prospexisset, tunc Religiosis tam lata fenestra, ad sui propagationem, & Patriæ nostræ eversionem non fuisset aperta. Credo, si quibusdam hujus Legis virtus innotuisset, futuros fuisse, è majoribus nostris, qui, ambabus eam amplexi manibus, in Germaniam invexissent.

C A P. XXXVII.

SCutagium de cætero capiatur, sicut capi consuevit, tempore Henrici Regis, Avi Nostri.

Nota: Fletam adi *lib. 2 c. 60. & 1. part. Instit. barum. lib. 2. Cap. Escuage sect. 95.*

Scutagium.] Sermo est de his, qui vocantur Esquires, de quibus Thomas Smith, in Angliç descriptione, ne Lectorem ad Garamantas ablegemus, *lib. 1. cap. 19. p.* 152. sic loquitur: Escuriet, aut Esquir, quem vulgò Squire appellamus, dictio planè est Gallica & Scutigerum, sive Armigerum, Schildknaben significat, & in universum illos, qui Nobilitatis suæ specimen, è qua emanarunt, in insignibus gerunt. Hi distinctum aliquem Reipub. ordinem non constituunt, sed in classe Nobilium reponuntur; nihilque ab illis differunt, nisi quod insignia ferunt, gentis suæ claritatem repræsentantia; ut propterea cinctura, aut creatione, opus non habeant. Aut etiam ex eo nomen habent, quod, cum in principio Dominis aut Equitibus, ephebi essent honorarii, aut Scutigeruli, conversus est in honoris titulum officii modus, per quem etiam ab alio gregario milite discernerentur. Hæc Smithus; apud alium legi, ejusmodi ephebos honorarios non nisi è Nobilissimis fuisse lectos; praxin vidi apud Card. Richelium.

C A P. XXXVIII.

SAlvæ sint Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Templariis, Hospitalariis, Comitibus, Baronibus, & omnibus aliis, tàm Ecclesiasticis personis, quàm secularibus, omnes libertates, & liberæ consuetudines; quas prius habuerunt. Omnes autem istas consuetudines & libertates prædictas, quas concessimus in Regno Nostro tenendas (quantum ad nos pertinet) erga nos & hæredes nostros observemus; & omnes de Regno nostro, tàm Clerici, quàm Laici observent, (quantum ad se pertinet) erga suos. Pro hâc autem donatione & concessione libertatum istarum, & aliarum libertatum contentarum in Charta nostra de liberta-

bertatibus Forestæ, Archiepiscopi, Abbates, Priores, Comites, Barones, Milites, Liberi tenentes, & omnes de Regno nostro, dederunt nobis Quinto-Decimam partem omnium mobilium suorum. (*Vide Statut. 7. An. 25 Edw. III.*) Concessimus etiam iisdem, pro nobis, & hæredibus nostris, quod nec nos, nec hæredes nostri, aliquid perquiremus, per quod libertates, in hâc Charta contentæ, infringantur vel infirmentur. Etsi ab aliquo contra hoc aliquid perquisitum fuerit, nihil valeat, & pro nullo habeatur. His testibus Bonefacio Cantuar' Archiep.' & Londonensi Episcopo, & aliis. Datum apud Westm' X. d. Feb. Anno Regni nostri nono.

Finis verborum Magnæ Chartæ.

Nota: Caput hoc a Glossatore in sex partes dispescitur: Part. 1 universalissimè & generalissimè, omnia, omnium, omnibus, antiquæ præcedentes, libertates & consuetudines, tam singulis, quàm universis, cujuscunque status, qualificationis, conditionis, ordinis, dignitatisve sunt, etiam sexus, confirmantur & corroborantur, & conferuntur, in vigore [illegible] ea, in qua fuerunt ante conquestum.

2. Rex se suosque omnes, ad observationem omnium & singulorum capitum, obstringit.

3. Ita rursus omnes, omnis status homines, his Legibus obligantur, eò usque, quousque illæ, vel ad omnes, vel ad singulos pertinent. Est sanè felicitatis caput, cujuslibet Regni, si bonæ Leges sint reciprocæ, inter Principem & populum ejus, diligenterque observentur.

4. Tenendum, vetustissimum Anglorum fuisse morem, Regibus suis donationem illustrem offerre, cùm aliquid Privilegiorum obtinere vellent. Et quemadmodum Regibus, absque populi consensu, nunquam licitum fuit, cuiquam pecuniam imperare, aut ab aliquo aliquid, sub quocunque prætextu petere; ita populus simul & junctim subsidia certa, sed voluntaria, & non nisi necessaria, & quidem Clericus, Nobilitas utraque, Cives omnes & quicquid incolarum est, Regibus, si ea legitimè peterent, solebat decernere, & concedere; hâc tamen semper addita Clausula restrictoria, nec ad illa ipsi posteri, continuanda, obligarentur: & ad hanc conditionem Reges, neque aliter tenebantur affirmativam suam dare: Nam quam habent in Parlamentis negativam, eam non obtinuerant Posteri illorum, ad Regni detrimentum, sed conservationem ac emolumentum.

5. Rex pro se, & hæredibus suis, solennissimè cavet, nec se, nec suos, unquam quicquam dolosè contra Chartam hanc machinaturos; & si quid à quoquam, vel se, vel suis, vel alio quocunque fieret, tentaretur, & usurparetur, illud nullum, invalidum, cassum, & sine autoritate fore, ac haberi debere.

6. His Testibus.] Antiquissima est consuetudo Anglorum, ait *Glossa pag. 77 in fine* hic, ut omnia negotia, Status tam à Regibus, quam à Nobilibus, semper adhibitis testibus, eorumque expressis, & adscriptis nominibus, finirentur, & corroborarentur. Quo ipso doceri potest, nec Regibus, nec Clericis, nec Nobilitati, aut alii, qui munere fungeretur, fiduciario, [illegible] vel consilio, vel authoritate, vel facto [illegible] licere.

Quo vero Conclusio hæc in Regiis confirmationibus, usitata jam fuit, non tantummodo hujus Henrici III. temporibus, & temporibus Progenitorum ejus in Regno; sed & apud filium ejus Edw. I. item Reges, Eduardum II. Eduardum III. post ipsum: Richardus III. clanculam His Testibus omisit, & introduxit: Teste meipso, hac quidem formulâ: In cujus rei Testimonium has literas Nostras fieri fecimus patentes. Teste meipso autem non, nisi tempore creationis Regum, in usu fuit. Ac licet aliæ Clausularum formæ, quorundam calliditate, irrepserint, tamen nullius potuerunt esse valoris, contra hanc Magnam Chartam; quæ per excellentiam sic est vocata, & non propter foliorum vel magnitudinem vel multitudinem, sed propter rerum, quas maximas continet, inæstimandam dignitatem.

Tenendum & hoc est, Statuta Anglorum Parlamentaria nomina sua diversimodè sortiri, e.g. vel à Regibus, & id vix à longissimo tempore retrò, vel à rebus, quas continent, vel à locis, in quibus fuerunt Parlamenta celebrata.

F I N I S.